LITHOGENESIA SIVE DE MICROCOSMI MEMBRIS PETREFACTIS: ET DE CALCULIS EIDEM...

Johann Georg Schenck

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
12 N
25

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

69.1.15. 69 2 24.

Digitized by Google

Lithogenesia Ioan. Georg.

$\frac{5}{11}$
46

Digitized by Google

Digitized by Google

Coll. Rom. Soc. Jesu
Catalogo Inscriptus

LITHOGENESIA
Sive
B. S.

DE MICROCOSMI MEMBRIS PETREFACTIS: ET DE CALCULIS EIDEM MICROCOSMO PER VARIAS MATRICES innatis:

PATHOLOGIA HISTORICA, PER Theorian & Autopsian demonstrata.

Accessit

Analogicum Argumentum ex Macrocosmo

DE CALCULIS BRUTORUM CORPORIB. INNATIS.

Quibus Concretio portentosa ex Panspermio semine viscoso & bolari per salis spiritum coagulato, illustratur: Cui deinceps Dissolutionis secunda Pars & germana soror adsociabitur.

AUCTORE

IOANNE GEORGIO SCHENCKIO

à Grafenberg, Philiatro: Hagenoensium Alsatiæ Poliatro.

FRANCOFURTI,

Ex Officina Typographica MATTHIÆ BECKERI, Sumptibus Viduæ THEODORI DE BRY, & duorum ejus filiorum.

M. DC. VIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

HONORI VIRTUTI
Gratiæque
ILLUSTRIS.

ET GENEROSIS. COMITIS

D. D.

JOANNIS REINARDI COMITIS
AB HANAW
LICHTENBVRG ET OCHSENSTEIN
&c.
DN. GRATIOS.

LITHOGENESIA ISTHÆC,

ANIMO COLENDI OBSERVANDIQUE CONSECRAT

L. M.

IOANNES GEORGIVS SCHENCKIVS A GRAFENBERG, Philiater, Hagenoensium Poliater
M. DC. VIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

THEORICA EPITOME

CONCRETIONIS CALCULOSÆ, HISTORICÆ FIDEI PRÆMISSA.

IN omni Anatomia Microcosmi vel humani corporis excrescere Calculum posse, non tam exemplis & observationibus adeoq; historica fide inclarescit: quam Physica ratione solida ex verioribus & certioribus Principiis convincere licet. Bolus sive lutum, & Viscosum Gluten, Panspermia est hujus Concretionis & Lithogeneseos: quæ ambo analoga sive anatica, intermedio Spiritu Salis igneo, id est per Sal animale, & specificum Principium, in tophos & calculos, per varias humani Corporis matrices & loculos, coguntur.

Hinc sane dira gravissimorum morborum sympt.matica seminaria in effectum emergunt. Hoc tam illustre, tam Nobile Argumentum triverbio tractaturus ex Principiis priscis, Theoricam quandam curtam Circumscriptionem, veluti epitomicam Epigraphen sive Diorismum Concretionis Catholicæ, præmittere visum est. Interea dum secundam Dissolutionis Partem Therapeuticam consimili opera pertexuero.

Calculi quæ est Definitio?

Ex substantia sive materiali causa dixeris esse, Excrementum cibi & potus, per Archeum sequestratum, coagulatum per Spiritum salis.

Nunquid præter hanc suppetit alia Definitio?

Tametsi nomen id catholicum est minime, Morbo proprie conveniens: Ex qualitate tamen & effectu, statues Morbum esse lapillosum, actionem principiorum hypostaticorum impedientem.

His præscitis, quotuplex sit, enumera?

Varius, secundum varia Causarum genera.

Quotuplex ex subjecto Ex quo, id est ex Causa materiali?

Duplex. Ex cibo alius, Ex potu alius. Ex cibo: nimirum leguminibus, lacticiniis dulcibus, piscibus, obsoniis, melle, saccharo, præsertim carne. Ex potu: scilicet, Vino, aqua,

cervisia. Hæc per singulas subdivisiones singulos & specificos prebent calculos.

Quotuplex ex subjecto In quo?

Varius: potest tamen ad duo Basilica Genera restringi. Alius enim est, Membrorum Principalium, Alius Ignobilium. Primi generis sunt: Cerebrum, Cor, Epar, Pulmo, Lien, Renes. Secundi; sunt omnes reliquæ matrices, hospitia, conceptacula, in omni Anatomia humani corporis.

Quotuplex ex causa formali?

Duplex. Alius enim ex forma hypostatica substantiali, scilicet interna, ut Spiritu salu sive Balsamo vitæ, quod est Principium tertium post Spiritum vitæ & Liquorem vitæ. Alius, ex forma accidentali, nimirum ex loco vel matrice à quo figuram formamque suam accipit.

Quomodo illa calculi genera nominantur?

Tophus, Lutum, Calculus, sabulum, Bolus. Id vocabulum etiam extendam, ut præterea comprehendat viscosum, Muscilagineum, gemmeum, marmoreum, alabastritium, adamantinum calculum: partim ex tropo & metaphora, secundum cujusq; naturam & qualitatem.

Ex forma quotuplex est?

Coagulatus alius, Resolutus alius.

Quotuplex ex causa Efficiente?

Duplex: ut sit Internus & Externus. Internus qui etiam naturalis dicitur, ex consueto, in consueto loco. At q; hic est calculus primi entis vel ilech, agnatus & proprius per naturalem inclinationem & propensionem. Externus: qui non male dicitur ascititius, hospitalis, peregrinus, de inconsueto ad inconsuetum locum, Accidentalis.

Quotuplex secundum Finem & Effectum?

Alius Lethalis, idemque chronicus, fixus, tandem perimens. Alius Mansuetior, præterens: hic crescit, durescit, abit redit q; variaq; subinfert symptomatum species.

Quotuplex est ex Adjunctis?

Ut dixi, alius coagulatus, dissolutus alius: siccus nimirum, & humectus: dulcis alius, acutus alius, varius secundum specificas saporum differentias.

Ut sin-

Ut ſingula efficaciter inquiram, Agedum Quid eſt cauſa materialis Calculi?

Materia, eſt ſuperfluitas naturalis, quaſi quoddam extractum ex omnibus corporibus coagulatu.

Quid eſt cauſa Formalis?

Nimia feſtinatio ſpiritus ſalis ſeu balſami: cujus præcipiti facultate materia collecta, priusquam egeritur, coagulatur.

Quid eſt cauſa efficiens Calculum?

Vehemens & fortis Archei digeſtio, hoc eſt calor naturæ inflammatior.

Quis tandem finis Calculi?

Generatio ſubtriſtium dolorum, variorum ſymptomatum, pro cujusq; ſubjecti ratione.

Quis effectus?

Abolitio humani corporis.

Quæ ſunt cauſæ adjuvantes Calculum, vel ſine quibus non?

Adjuvantes, ſunt Locus, Tempus. Locus autem duplex: Internus & externus. Sub interno, inaudies omnes vias viarum & meatus, quæ loca excrementum cibi potusq; in ſingulis concoctionibus permeat. Sub externo, comprehendes ſpeciales quosdam loculos quibus interdum inclinatione propenſa calculi innaſcuntur.

Quid eſt cauſa conſervans Calculum?

Eſt Humor.

Quotuplices ſunt ſignaturæ ſymptomatum?

Univerſales & Particulares.

Quæ ſunt Univerſales?

Nauſea, Vomitus, ventris torſiones, qui calculoſi ſunt, ſi ſcalas conſcendant, perſentiunt dolores circa ani partes, unde ſeſe torquent. Urina apparet vini inſtar ardentis, vel ſeri lactis in modum.

Quotu-

Digitized by Google

Quotuplices ſunt particulares?

Duplices: Membrorum Principalium; & ignobilium ſive minus principalium.

Audiam ſignaturas Membrorum Principalium.

Calculus

1. Cerebri. *Perennis & lethalis cephalalgia, phrenesis, mania, vesania,*
2. Cordis. *Palpitatio, tabes, cardiaca, tremor: nonnunquam pus una per urinas expurgari ſolitum, & renum dolores aſſiterunt: accedit interdum pectoris hydrops.*
3. Pulmonum. *Tuſis, laterum dolores, aſthma, ſanguinis ſputum, atrophia, vera ex pulmonis ulceratione phthiſis, ſæpe ipſa mors.*
4. Epatis. *Obſtructio, icterus pertinax, hydrops, febris, cum graviſſimis aliis ſymptomatibus.*
5. Renum. *Nephritis, dolor dorſi & lumborum. Si cum doloribus dorſi conjunctus dolor ventris, tum lapis in renibus eſt generatus.*
6. Lienis. *Obſtructio, quartana, punctura ſiniſtri lateris & dolor. Fel vicus non eſt: ſed veſicula humoris receptacula.*

Enumera ſignaturas Membrorum ſpecialium.

Tam ſunt multiplices, ut ipſa hoſpitia domiciliaq; ſunt varia: quantum tamen licet, triverbio comprahendam.

Calculus in

1. Oculis. *Vnde viſus hebetudo, tandem cæcitas.*
2. Lingua. *Sermonis impedimentum.*
3. Dentibus & maxillis. *Deformitas & ſcabrities dentium, eroſio & dolores eorundem, putrefactio gingivarum.*
4. Oeſophago. *Stomachi & gulæ ardor.* Καῦμα. *compreſſio circa orificium ſtomachi, item tortura, & paroxyſmus ſimilis calculi exacerbationi.*
5. Ventriculo. *diuturnus & intolerabilis dolor, aſcendit cibus ſurſum: quia vel repugnat calculus cibis, vel maxime hiu gaudet, apepſia, aduſtio in ventriculi fundo, vētriculi debilitatio.*
6. Inteſtinis. *Hinc colica, iliaca, teneſmus, obſtructio difficilis & alvus aſtricta, fluida etiam, ſtomachi & inteſtinorum perennis dolor, contractura omniū membrorum totius corporis, nonnunquam mors.*
7. Venis & ſanguine. *Intolerabilis pruritus, motus convulſivus, maxime earum partium ad quas vena illa fabuloſum ſanguinem deferūt; ut ſi ad coxam, iſchiadico per ſimilem ſubinfert. In venis meſaraicis: unde oppilatio, punctura; hinc vomitiones,*

Digitized by Google

nes, nauſea, membrorum aridura ſive arefactio: exacerbatio calorifica frigida inſtar febris vel peſtis. In vena cava varia calculi ſpecies naſcitur: Hinc calculus arenoſus, lapidoſus, cavus, rubicundus, ſubniger, flavus, pallidus, hepatinus, & varius. In ſanguine ſit inſtar arenæ: ſi ſudore non excernatur, efficit ſcabiem, cutis ſæditatem, lepram, morphocam, ſerpiginem.

8. Felle. *Vomitus, nauſea, torſiones, ſtomachi & hypochondriorum, atrophia, tabes, viſcerũ obſtructiones & inflammationes, icterus: immedicabilis, vigiliæ, laſſitudo, folliculi fellis effluvium, unde emergunt colicæ, melancholica affectio, maerores, adiram propenſio, urinæ difficultas & ardor, cutis lepra, febris, nec non ſubitanea mors. Hic calculus parit contracturam & incurvat, putredines ſubinfert, & univerſum corpus coafficit.*

9. Meſenterio. *Complurium vitioſorum humorum illic colluvies.*

10. Veſica. *Qui varius eſt ſecundum regionem & locum: ſtranguriam affert, facit contracturam à pectine per inferiora. Vrina eſt lactea vel ut ſerum lactis.*

11. Teſticulis. *Ramex vel carnoſus vel aqueus.*

12. Glandoſo veſicæ corpore. *Difficilis excretio paraſtatũ ſeminis.*

13. Scroto. *Ischouria.*

14. Utero & matricis acetabulis. *Dolores parturientibus ſimiles.*

15. Medulla. *Iſchiatica, defluxiones, gutta apoplectica, medulla abſumptio, arthetica, ſive podagra imperfecta, dolores junctur arum. Hic calculus ſæpe accidit Lepræ, indeq; dubius eſt.*

16. Articulis, præſertim ſynovia. *Gutta, Podagra, Artbritis: Synovia eſt Myxa Hippocratis.*

17. Carne. *Hinc tabes, abſumptio,* Schwindung vnd Schweinung. *Afficit hic calculus per modum oppilationis & indurationis carnis: inde alij etiam Chronici morbi emergunt, dorſi, lumborum, articulorum dolor.*

18. Externis partibus, ut in Umbilico. *Deformatio.*

19. Abſceſſibus & apoſtematibus. *Nonnunquam, præſertim in inguinis abſceſſu, dolor colico ſimilis.*

20. Vulneribus. *Velut veſicæ, eorundem conglutinationis impedimentum.*

Signaturæ quas enumeraſti, ſuntne Calculi coagulati an Reſoluti.

Sunt coagulati.

Quæ ſunt ſigna Reſoluti?

Pus & ſanies.

):():(Satis

Satis liberaliter hactenus theorice disseruisti, tametsi triverbio: Nunc quis Scopus Curationis?

Dissolutio. *Vt coagulum resolvatur & excernatur. Quam Therapeutices Partem reservo in aliud tempus. Hoc unum subjiciens, ut Curatio lautius & felicius quam hactenus suscipiatur, & ex veris nobilibus Principiis Centrum veritatis inquiratur.*

Tempestivum nunc est ad Exempla Observationum progredi, quibus ut locupletissimis testibus rectissime docemur, & quasi efficacissimis argumentis confirmamur. Exhibebit nobis Pathologia isthaec historica & Exemplaris, historias Calculorum, in microcosmo quasi singulis ejusdem particulis concretorum. Subjungemus deinceps aliud ex Macrocosmo analogicum & adsine argumentum, De Calculis consimili modo Brutorum corporibus innatis. Exemplis enim magni mundi ad parvum mundum relatis, Analogia demonstrativa efficax emergit: quod homo sit Mundus epitomicus, sicut megacosmus est Magnus Homo.

Licebit etiam ex eodem Magno Mundo cum his omnibus conferre, quae de tot Aquis lapidosis, calculosis, tartareis, petrefacientibus, Auctores probatae fidei veteres & Recentiores referunt. Vnde immersa quaeq; praesertim ligna lapidescunt. Convincunt haec omnia, ut quod in Macrocosmi membris eatenus fit, peraque in Microcosmi membris accidere possit: unde causas ex principiis utriusq; Concretionis analogicae Catholicas erigamus: praeunte semper per exempla magno mundo amplissimo. Hanc vero opellam meam, ex Theatro Observationum Clarissimi Parentis mei, mihi cum natura tum virtute amantissimi, sparsim exscriptam & concorporatam, spero tibi, Lector, gratam & acceptam fore.

PINAX

Digitized by Google

PINAX

AUCTORUM REI MEDICÆ,

Quorum teſtimonia Argumento Concretionis ſubintulimus & concorporavimus.

MEDICI

GRÆCI ET LATINI

Hippocrates
Galenus
Aetius
Ægineta
Alex. Trallianus
Plinius

ARABES.

Raſis
Abinzoar
Avicenna
Rabbi Moyſes

BARBARI.

Gentilis de Fulgineo
Hugo Senenſis
Petrus Aponenſis
Jacobus de Forlivio
Bernh. Gordonius
Marſilius
Anton. Guaynerius
Nicol. Florentinus
Gilbertus Anglicus
Franciſcus Pedemont.
Joan. Arculanus

LATINI RECENTIORES.

Abrahamus Mûrgelius
Alexander Benedictus
Andreas à Lacuna
Andreas Veſalius
Antonius Benivenius
Ant. Muſa Braſſavola
Antonius Valetius
Amatus Luſitanus
Ambroſius Pareus
Barthol. Euſtachius
Chriſtoph. Burgenſis
Chriſtoph. Encelius
Chriſtoph. à Vega.
Conradus Geſnerus
Cornelius Gemma
Cyriacus Lucius
Deſiderius Jacotius
Dominicus Leonus
Dornezius
Eſaias Meuchſnerus
Felix Platerus

Digitized by Google

Ferrandus Senior
Fonseca
Franciscus Vallesius
Gabriel Fallopius
Georgius Garnerus
Georgius Graseccius
Gerhardus Bergensis
Hieronymus Cardanus
Hieronymus Mercurialis
Hieronymus Montuus
Jacobus Camenicenus
Jacobus Hollerius
Jacobus Octhæus
Joannes Andernacus
Joannes Cnoblochius
Joannes Crato
Joannes Fernelius
Joan. Frid. Traffelmannus
Joannes Hessus
Joan. Heurnius
Joan. Jac. Weckerus
Joan. Kentmanus
Joannes Langius
Joannes Posthius
Joannes Schenckius, Senior
Joannes Wierus
Josephus Quercetanus
Julius Alexandrinus
Julius Cæsar Scaliger
Laurentius Jubertus
Levinus Lemnius
Marcellus Donatus
Nicol. Monardes
Petrus Andr. Matthiolus
Petrus Forestus
Petrus Quentzius
Petrus Salius
Realdus Columbus
Reinerus Solenander
Rembertus Dodonæu
Scholiastes ad lib. Gal. de loc. affect.
Theophrastus Paracelsus paradoxus
Thomas Erastus
Thomas Iordanus
Thomas à Veiga
Turneusserus
Wenceslaus Raphanus
Victor Trincavella
Vidus Vidius
Volcherus Coiter.

MIXTI.

Antoninus, in Chronic.
Cœlius Rhodig. in Antiq. Lect.
Peucerus

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

THEORICA Epitome Concretionis calculosæ: historicæ fidei præmissa.

De Calculis in Capite, Cranio, & Cerebro.

CAPUT I.

De Calculis in Palpebris & Oculis.

CAPUT II.

De Calculis in Faucibus, Tonsillis, & Dentibus.

CAPUT III.

De Calculis in Lingua.

CAPUT IV.

De Calculis in Mammis.

CAPUT V.

De Calculis in Pulmone & Pectore.

CAPUT VI.

De Calculis in Corde & Arteriis.

CAPUT VII.

De Calculis in Oesophago & Ventriculo.

CAPUT VIII.

De Calculis in Hepate.

CAPUT IX.

De Calculis in folliculo Fellis.

CAPUT X.

De Calculis in Venis & Sanguine.

CAPUT XI.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

De Calculis in Meſenterio & Liene.

CAPUT XII.

De Calculis in inteſtinis.

CAPUT XIII.

De Calculis in Renibus & Ureteribus inſignioribus.

CAPUT XIV.

De Calculis in Veſica majoribus.

CAPUT XV.

De Calculis in Inguine, Teſticulis, & Utero.

CAPUT XVI.

De Calculis in Tumoribus & Abſceſſibus.

CAPUT XVII.

De Calculis in Vulneribus.

CAPUT XVIII.

De Calculis in Extremitatibus, Junctur is, & Umbilico.

CAPUT XIX.

Analogicus Appendix Concretionis Calculoſæ, per exempla magni Mundi: præſertim de Calculis Brutorum Corporibus innatis. Puta, Capiti, Maxillæ, Oculis, Pulmonibus, Cordi, Ventriculo, Hepati, Felli, Inteſtinis, Renibus, Veſicæ, Vulvæ, Carni muſculoſæ.

***

FINIS.

DE CAL-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE CALCVLIS IN CAPITE, CRANIO, ET CEREBRO;

CAPVT I.

LAPIDES in omni fere corporis parte ortum habent: in capite, inquam, in ventriculo &c. Ant. Musa Bras.

Aperta à nobis mulier in Scholis Medicorum Lutetię Lapidem habens in vtero, in cranio anteriore, & quæ sine Liene inventa sit. Iacobus Hollerius.

Multis in partibus corporis humani, calculi generari possunt. Observavit author (Hollerius) concretos in capite, in vtero mulieris, cui dissecandæ in scholis præfuit. Scholiographi Iac. Hollerii.

Adhærent sæpe (calculi) cranio, vesicæ, vtero. Iidem Scholiographi Hollerii.

Andreas Lacuna cum aliis nostratibus anatomicis, quosdam lapides intra calvariam conspexit. Thomas à Veiga.

Vir Clarissimus Iohannes Pfeil, artium & Medicinæ Doctor, in Academia Lipsensi quondam Professor, affinis & Præceptor meus charissimus, sæpe inter prælegendum publice nobis auditoribus narrare solebat, se curationem suscepisse hominis miseri aque inopis, ubi primum Lipsiam rediisset ex Italia; ubi per plures annos egregiam Medicinæ operam navarat, & maioris divitisque Nosocomii Florentini conductus mercede Medicus fuerat: Vir magna authoritate & plurimo rerum usu, nam & à philosophia, arte Medica, atque Astrologorum scientia præclare instructus, & Latine atque Græce insigniter doctus erat. Is igitur curam se gessisse Ægri cuiusdam affirmabat, qui diuturno atque intolerabili capitis dolore adeo fuisset excruciatus, ut dies noctesque nullam prorsus quietis caperet partem. Interrogatus autem ipse, aut qui ei tum administrabant, quid sibi præcipue doleret? Capitis continuo cruciatu se confici ajebat quem sibi mori esu contraxisset. Nulli operæ tum parcens Medicus, omnes adhibuit machinas, nihil intentatum reliquit, imo vero & suis ipse sumptibus Medicinam pauperi ægroto cõparavit, ut quoquo modo posset languenti o-

pem auxiliumque ferret, ſibique ampliſſimam inde mercedem quæreret, gloriam. Sed in tam dubio deſperato caſu, omnem operam ludos fecit, nulla quæ ſanaret medicina tanto malo reperta fuit, æger perpetuis doloribus, iiſque acerbiſſimis ſuperatus vitam morte commutavit. Hic prædictus Doctor Iohannes Pfeil, homo induſtrius & fidelis Medicus, cum arderet deſiderio cognoſcendæ cauſæ tanti cruciatus, quo facilius & rectius opitulari aliis ſimili in caſu poſſet, à defuncti cognatis precario impetrat, ut diſſecare ſibi caput mortui liceret. Erat enim inter cætera dona, quibus clarebat, etiam anatomes egregie peritus. Quod cum feciſſet, in capitis aperti Cerebro lapidem reperit, magnitudine & forma mori, colore autem quaſi pullo aut cinereo, quem deinceps pro ſingulari miraculo multis oſtendit. Diſcipuli & auditores huius Viri inter cæteros fuerunt præcipui illi & præſtantes Viri D. Ulldaricus Stendlerus, Phyſicus Labachenſis, D. Joannes Sprembergius, Medicus Uratislaviēſis, D. Matthias Cornax, Cæſareæ Majeſtatis Medicus Viennæ, D. Wolffgangus Meurerus, Philoſophiæ & Medicinæ Profeſſor in Academia Lipſenſi, Vir pietate & doctrina ſingularis & artis Medicæ peritiſſimus, tunc temporis omnes artium & Philoſophiæ Magiſtri. Non multo poſt idem D. Johannes Pfeill Lipſia in aulam accitus fuit, à Duce Saxoniæ Mauritio, cuius corporis curam egit, donec anno 1544. Lipſiæ calculi doloribus confectus, è vita diſceſſit. Kentmannus.

Lapides in cerebro hominis reperti.

A

A Kentmano deſcriptus.

B

B Cornelio Gemma exhibitus.

Eſt in cerebro apud nos parvus inventus Lapis, illi nō abſimilis, quem Dresdenſis Medicus Johannes Centmanus inter Geſneri monumenta deſcripſit. Corn. Gemma.

Lapides in capite, cranio, & cerebro naſci præterea atteſtantur Braſſavolus

volus Comment. ad Aphorism. 79. libr. 4. Hipp. Thomas à Veiga, referente Andr. Laucana Comment. ad cap. 5. libr. 4. de loc. affect. Galen. Hollerius in append.

DE CALCVLIS PALPEBRARVM ET OCVLORVM.

CAPVT II.

CAlculum in palpebris dicunt, quum eversis palpebris, tofis similia, circa ipsas extiterint alba ac aspera, varorum speciem præ se ferentia, Aetius.

Ex ora palpebræ, vbi hordeolorum collectiones fiunt, lapillum eximi iussimus, tritico figura, colore, magnitudine parem, duritia superiorem. Jul. Cæs. Scaliger.

In oculis sæpe nascuntur Lapides, nam liquor salis, qui est in capite, sedere potest ad oculum. Theophrastus Paracels.

DE CALCVLIS IN FAVCIBVS, TONSILLIS, ET DENTIBVS.

CAPVT III.

QVidam dixerunt se vidisse Lapidem generatum in faucibus. Nicol. Florent.

Vt mirum est, atque rarum, in cerebro humano lapides nasci: ita non minus fortasse admirationis habebit, quod in tonsillis, sive faucium glandulis (quas à similitudine amygdalas dicimus, quarum munus est, humore ex cerebro in κατάρρους destillante, salivam vocant, fauces ipsas, & Laryngā linguamque atque adeo omnem concavitatem œsophagi ad orificium vsque ventriculi irrigare) calculi quoque generentur. De quibus vir clarissimus D. Johannes Langius, Illustrissimorum Principum Comitum Palatinorum Medicus, secundo libro suarum Epistolarum Medicinalium scribens: Curasse se inquit, Canonicum Ratisponēsem nobilem de Sparneck, qui ob lapidem, in tonsillorum faucium abscessu concretum continua afflictus sit tussi, quo emollito humore oborta ex destillatione, valida

tussi, calculum gypseum excreverit, simillimum tophis, qui intra digitorum articulos, chiragra laborantibus, accrescere ex pituita solent. Quomodo autem quibusque medicamentis atq; mediis id factum sit, ibidem exponit. Johan. Kentmannus.

Fiunt dentifricia, quibus dentes leviter confricamus ne doleant: quæ gingivas astringendo juvant, ac inhærentes eximant tophos, quos πώρους Græci vocant. Ii enim densata colluvie circa dentes adnascuntur, vt in cochis marinis. Alex. Benedictus.

In quodam cive meo intuitus sum in senectute iunctos dentes, dura ac pene lapidea materia undique obductos, nullo distinctionis vestigio retento, unius tantum ossis speciem præseferente. Bartol. Eustachius.

Mihi quoque, tum præsertim, vbi liberalius caseo, qui lentorem talem peropportune præstare potest, vescor, lapides dentibus adnascuntur, lenta nimium materia dentibus adhærente & interna oris caliditate in lapideã duritiem coacta. Quos ego tophos cultro sæpius dentibus avulsos lentis crassitie, magnitudine vero dentis, cui innascuntur, ostendere possum, qui ubi recens avelluntur, molliores sunt instar calculorum, qui ex renibus iã iam prodeunt. aeri autem vel tantillum expositi, statim, vt corallia mari exempta, lapidescunt. Schenckius Pater.

DE CALCVLIS IN LINGVA.

CAPVT IV.

VIdi Lapidem generatum sub lingua cuiusdam viri, prohibentem ei locutionem, & eo remoto lapide rehabuit vir loquelam. Et generatus ab humoribus grossis, qui indurantur ad invicem simul, donec ad lapidem convertuntur. Avenzoar.

Zoar recenset visum à se hominẽ, cui ex nascente intra linguã lapide, loquendi vis amissa est, ex ablato restituta. Thom. à Vega.

Ego vidi lapidem sub lingua generatũ in Domino Nicolao de summa Ripa. Jacobus de Forolivio. Idem ex eodem repetit Ant. Guainerius.

Quibusdam sub lingua inventũ (Lapidem) scripsere Alex. Benedictus.

Unum (Lapidẽ) sub lingua cuiusdam heroinæ natum, & inde evulsum instar strobili conspicatus sum. Hier. Montuus.

Lapis

Lapis in tumore ſub lingua concretus Kentmani.

Torgę in aula Principis Electoris vera laude Illuſtriſſimi Johannis Friderici tibicen erat, quo buccinatore nonnunquam Princeps vtebatur, in eo ſtudio cum ingenio, nec ſine induſtria verſatus. Johannem Steidelium vocabant. Huic tuberculum ſub lingua ſurgit duriuſculum & diuturnum, ſed doloris prorſus expers: quod ipſe & quos eonſulebat ex flatu vehemēti ſic intumuiſſe opinabantur. Sed cum paulatim accreſceret, & buccinanti impedimento eſſe cœpiſſet, à chirurgis conſilium petit, qui malagmatis foris appoſitis, intus autem gargariſationibus tumore mollito, ſaniem tuberculum illud facere cogunt: quod dum ictu aperiretur, exprimeretur q;, iuxta pus durus lapillus exilit, qui etiamnū penes me eſt, vt bina piſa magnus, tereſque, cum arefacta atque excorticata lauri bacca ſimilitudinem habens, colore ſpadiceus & iuſtæ gravitatis. Vulnus deinde ſanatum integre fuit, & tumor evanuit, nec tibia canenti amplius moleſte obſtitit. Joh. Kentmanus.

Sub lingua lapides genitos vidimus. Corn. Gemma.

Ranula lapis, qui ſub lingua oritur, ut Auguſto caſtri Sancti Petri: cui me præſente forma & magnitudine ſimilis è linguæ radice eductus eſt: levi negotio, cum ante loqui vix poſſet, locus que doleret Cardanus.

Vidi in linguæ venis, quas Græci ὑπογλώττιδας, noſtri Raninas appellant, præ maxima ariditate ſanguinem in Lapideam duritiem converſum. Joubertus.

DE CALCULIS MAMILLARUM.

CAPVT V.

LAc in mamillis lapideſcit, ubi non emungitur, atque in apoſtematum collectionibus lapidoſa quædam congeries ac concretio aliquando eximitur. Lemnius lib. 4. c. 12. d. occult. nat. mirac.

Digitized by Google

MAMMA PETREFACTA

Saxea.

Certe illud affirmare possum me Patavii vidisse muliebrem mammam in Saxū evasisse, quod, cum mortua jaceret, hæc fonte mersa fuisset. Magna sine dubio vis & fontium & balneorum. Heurnius libr. 1. Methodi ad praxim.

DE CALCVLIS IN PVLMONIBVS ET PECTORE.

CAPVT VI.

Calculi pulmonum.

Kentmanj. *Corn. Gemm.*

QUidam diuturna tussi vexatus, & exiguum lentumque pus expuens, frustum quoddam parvo grandinis grano haud absimile excreavit, ac deterens illud mihi ostendit, atque rursus non ita multo post aliud quoque attulit. Unde conieci lentum illum humorem, quem antea expuere solebat, siccatum induratumque, ad huiusmodi substantiam perveniſſe, quam-

quamobrem medicamentum ei in potu dedi, quod asthmaticis auxiliatur, atque ita factum est, ut minorem expueret grandinem, atque longiori, quam antea intervallo, neque pluribus deinceps annis adeo mitigari potuit affectus; quin tandē moreretur. Cæterū grādines ipsæ magna ex parte crui magnitudinē æquabāt, q̄vis interdum majores, interdū minores esse viderentur. Atque alios quoq; similiter quidē spuere, sed nihilominus in multos annos vitam extendere vidimus. Quorum alii aliam ob causam, alii vero ob spiritalium instrumentorum affectum mortui sunt, quamvis nihil cruoris excrearent. Galen.

Vir quidam calculum exquisite figuratum expuit, non crassum humorem & viscosum, sed revera calculum: non asperum, sed etiam valde levem, durum & renitentem, ut in terram quoquè proiectus, sonum ederet. Hic Vir longo tempore tussi vexatus, non potuit, ne valde tussiret, liberari, quousque calculum expuisset. Utebatur autem victu temperato, humectante & potius refrigerante mediocriter: erat enim & curis deditus, & habitu tenuis, vt hoc etiam tabidis responderet. Et nisi his usus fuisset, puto illum similiter iis, qui tabe laborarunt, interiturum fuisse. Meminit etiam cuiusdam divinissimus Galenus, qui non calculum, sed grandinibus similia expuerat: itemq; aliorum quorundam qui similia bili colore sputa reiecerant. Ac miror quomodo ipse nullo refrigerantium uti voluerit, sed hęc quidem vitarit, calidam autem potius curandi rationem adhibuerit. Nam & Mithridaticū ipsis offerebam, inquit, pariter & Athanasiam, & quæ adhuc magis siccare potest, theriacam, omniaque alia antidota, ad suspiriosos inscripta, quæ acribus quibusdam, & extenuantibus medicamentis cōstant. Atque ea se non solum uno viro, sed etiam compluribus vidisse dicit. Nullus autem eorum, quibus ejusmodi acciderunt, mortem effugere potuit, sed omnes eum paulo longiore tempore, aut breviore perdurassent, interierunt. At reipsa verum est, hoc quod ille de Archigene prodidit: difficile enim est, homo quum sit, non etiam in multis aberrare, qui nonnulla prorsus ignoraverit, nonnulla etiam negligentius contriperit. Atque hæc dicere de tam sapiente viro ausus non fuissem, nisi veritas confidenti me esse animo incitasset: atque ego rursus impium esse, si vere censuissem. Nam Medicus, quoniam id quod sibi videtur, arripit, & non explicat, valde alios offendit, & impietatē exercet, magnoque errori, imprudens, seipsum sponte implicat. Verum illud agendum est quod (inquit) Aristoteles dixerit: Amicus quidem Plato, amica etiam veritas: duobus autem

tem propositis veritas præferri debet. Alex. Trallianus. Idipsum cuidam civi Duisburgensi quoque accidisse meminit Joan. Wierus.

Nos in sanguinis exercitatione calculos excerni vidimus. Notus certe quidam mihi est ex iis, qui sanguinem è pulmone reijiunt, temporis processu maxima cum tussi, & sanguinis copia, calculos quatuor aut quinque exquisse asperos tribulorum modo ad magnitudinem siliquarum trium, aut quatuor, ac deinde dolore levatus est. Paulo post tabe consumptus interiit. Paulus Ægyneta.

In renibus, vesica, & pulmone frequentius (quam in intestinis) Lapides generantur, in renibus & vesica propter strictvram meatuum, & quia superfluitates incurrunt ad illum locum. Et quia ratione ætatis in vesica potest esse calor fortis. In pulmone autem materia est multa, & licet meatus sint lati, tamen calor est fortis, quare potest lapis generari, in intestinis raro. Bern. Cordonius.

Fiunt etiam (Lapides) in pectore, & aliis locis, ut in junctvris arthriticorum. Gylbertus Anglicus.

Lapis in multis partibus corporis humani potest generari, scilicet in intestinis grossis &c. In pulmone, vt dicit Galenus, & ut vidi Veronæ. Joan. Arculanus.

Henricus quidam Alemannus cum laterum doloribus iam triennio vexaretur, & ob id opera & consilio multorum interim Medicorum, sed frustra usus fuisset, ad nos tandem venit oratum ut si quo modo possem, laboranti illi opem ferrem. Interrogo igitur hominem, an initium morbi causam ve teneret, utram scilicet ex frigore, vel ictu aliquo, aut nimio cursu, vel destillatione à capite, sive etiam ex præcedente aliqua alia ægritudine hoc illi contigerit. Respõdit se nullam scire procatarcticam causam, sed tantum ex occulto initio, paulatim increvisse morbũ illum, adeoque auctum, ut eum ad mortem duceret. Anxius igitur & tanti doloris causam minime deprehendens, nesciebam quo me verterem. Neque enim ulla vel materiei, vel mali habitus erant indicia, cum tussicula quædam sicca hominem urgeret, neque item excrementa aliqua videbantur. Et medicamenta etiam, quibus curatus fuerat, intentiones fere omnes evacuaverãt. Quare authorum tandem sententiis nixus, quibus docetur Medicus, cum causæ morbi abditæ sunt, his præsidiis uti, quæ conferre quidem possint, nocere non possint: cœpi primum lenire pectus, mollire guttur, & asperam arteriam, donec calculo ad avellanæ magnitudinem de pectore propulso, & sic-

& ſicca illa tuſſicula, & omnis præterea dolor, a motus eſt. Ant. Benivenius.

Lapides in omni fere corporis parte ortum habent, in capite inquam, in ventriculo, &c. in pectore &c. Ant. Muſa Braſa.

Aſthmate ingraveſcente, lentus humor in grandinem concreſcit, atq; hæc tandem in veros calculos, quibus interdum diſſectos pulmones conſertos deprehendimus, gypſeæ pituitæ duritie: omnes quidem propria cyſti obductos. Sed etiam non ita pridem vir occurrit, qui quoties exercitatione incaleſcit, concitata tuſſi, calculos è pulmonibus edit præduros, eoſq; excreat, modo hordei, modo piſi magnitudine. Bona tamen is valetudine fruitur, præter q̃ quod paulo difficilius reſpirat, & in medio thorace, gravitatis cuiusdã põdus percipit. Atq; hæc quidem aliis ſine dyſpnœa, aliis cũ ſuſpirioſa orthopnœa obtingunt, qua qui conflictanẽ, vehementi anguſtia preſſi, prope ſuffocantur, altoq; & ſuſpirioſo ſpiritu, multum & frigidum aerem ducere contendunt, quo plurimo cor ad refrigerium indiget. Omnes ita affectos vere aſthmaticos, id eſt, anhelatores & ſuſpirioſos appellamus, qui jejuni & in quiete, & ſereno cælo facilius ſpirare ſolẽt: at quoties cauſa & materia intus condita, frigido humidove cælo, aut etiam multa crapula humeſcens, & quaſi tumens diffunditur, nova dyſpnœę quaſi acceſſione conflictantur. Multoque magis ſi forte recens quædam deſtillatio in arterias veteri malo jam impeditas ingruit. Joan. Fernelius.

Anno 1561. Gabriel Fallopius, vir præclare doctus & Anatomes omnium, qui tum in Italia claruerunt, peritiſſimus, quibusdam amicis ſuis morem gerens, in celeberrima Schola Patavina, juvenis cujusdam corpus ſecuit: qui adverſa valetudine diuturna uſus, tabe paulatim conſumebatur, de anhelo pectore & quotidiana tuſſi præcipue querens, donec tandem placide ex hac vita migravit. In eius pulmone Fallopius quatuor lapides offendit, nullum faba majuſcula minorem, latos nonnihil & tuberoſos, cinereos, & ſubduros. Joan. Kentmannus.

Anno 1572. filius meus Galenus, Medicinarum Doctor vidit Patavii Nobilem Germanum, qui ab exercitio, plures tuſſiendo rejiciebat calculos, inſtar piſi; molles adhuc & friabiles. Joan. Wierus.

Habet adhuc meus collega excellentiſſimus lapillum fabæ magnitudine anno 1553. à ſe exemptum in hoſpitali Piſano ex ſiniſtris pulmonibus cujusdam adoleſcentis phthiſi demortui: qui jam diu tuſſi vexatus, prope annos tres incæperat tabe marceſcere, qua tandem interiit. Lapillus eſt inæqualis, aſper, non admodum gravis, palleſcens, atque ovalis. Idem Wier.

Digitized by Google

Nuper amicus quidam meus Medicus doctus in Suevia his verbis ad me ſcripſit: Lapis, (quem mitto) proxime ex thorace cuiusdam monialis cum maxima tuſſi prodiit, per intervalla, ſemel vel bis in anno, ſanguinis rejectione ex reſpiratoriis partibus cum tuſſi erumpēte, laborat, ambulat hinc inde, & peregre proficiſcitur, colorata & elegans eſt, nec de ullis doloribus conqueritur, niſi quod anhelitus fœteat, & difficultatem ſpirandi ſentiat. Tuſſis rara, ſicca, phthiſim vix effugiet. Conr. Geſnerus.

Monspeſſuli in diſſectione juvenis cujusdam plurimos lapides pulmonum ſubſtantiæ infixos animadverſum eſt. Idem Geſnerus.

E pulmone unum (lapidem) vidi, magnitudine grani Maizi. Hieron. Cardanus.

In pulmonibus quæſtoris Albretici lapides aliquot duriſſimos, & æquabili ſuperficie, argillacco colore deprehendimus. Jul. Cæſ. Scaliger.

Puero cujusdam ſutoris in Meſenterio inventi (calculi) duabus mulieribus in pulmonibus: &c. Deſid. Jacotius; & Chriſtoph. Burg.

In Meſenterio, in pulmonibus &c. obſervavit Ferrandus. Idem vidit civem Caſtrilericenſem Prouſt cognomine, plures lapillos, albos, duros expuiſſe, qui tandem atrophia periit.

Lapides innumerabiles pene, hiſce manibus extraxi, inventos in renibus colore vario, in pulmonibus, in jecore &c. Real. Columb.

In pulmonibus atque per os excretos vidimus lapides parvos, albicantes, duros ſupra modum. Corn. Gemma.

Habemus domi lapides exciſos folliculo fellis &c. pulmone &c. Idem Gemma.

Rarum eſt (lapides naſci) in colo, pulmonibus &c. Scholiographus ad Galeni lib. de Locis affect.

Generoſus ac illuſtris quidam Baro, calculum ſæpe cum ſputo excrevit, qui in extremis aſperæ arteriæ ramulis ac propaginibus natus, loci figuram referebat: forma oblongus, teres, tenuisque, ſubinde adnatis brevibus ramulis, colore candidus. Aderat tuſſis ſatis vehemens, abſque qua excerni non potuit, & ſputum crudum. Uſus multis annis fœliciter ſcrapio ex Adianto, quo & tuſſis minus moleſta reddebatur. Tandem tuſſi vehementiſſima ſuperveniente, vaſe magno pulmonis rupto, ſanguineque copioſiſſime profuſo, extinctus eſt. Scrapium ex adianto hunc in modum paratum fuit Recip. Adianti legitimi capill. Veneris, hoc eſt, rutæ muriariæ an. unc. j. v. glycyrrhizæ unc. ij. radicum ruſic, aſparagi an. unc. j. ſeminis maluę

drach.

Digitized by Google

drach.ij.aq.puræ lib.4.Fiat omnium decoctio,usque dum aquæ libræ duæ tantum superſint.Colato addantur Sacchari unc. xij. mellis candidiſſimi unc.iij.aquæ ex hyſſopo deſtillatæ unc iiij.Iterum coquantur ſimul, dum ad ſerapii conſiſtentiam perveniant.Dodonæus Obſ.Medicin.cap.23.

Fuit quidam Venetiis ut retulere Medici qui interfuere,qui vehementi tuſſi lapillos ex pulmonibus ejecit. Irnicavella lib.10.cap.6.de rat.curand. part.hum. corp. affectus.calculos præterea in pulmonibus naſci atteſtantur Raſis.Scholiographi Hollerii ad cap.48.lib.1.de morb. intern.

Vidi & ſub mea curatione habui,qui per tuſſim plures excreverit lapides.Gerhardus Bergenſis.lib.de Calculo & Arthritide, pag. 90.

Rem incredibilem ſancta fide teſtamur quam ægro adhuc vivo docebimus,interdum Orthopnœa, non raro interceptione ſenſus & motus, tota nocte afflicto ante viginti annos à nobis Lipſiæ curato calculos ultra cētum,in ſanguine pulmonis in ſiliceam duritiem toſtos, partim tuſſi non exiguos,per aſperam arteriam partim deiectione per ventrem,eosque minores partim urinæ profluvio expurgatos, ſæpe veluti ramenta plurima lori lotio & ventris dejectione, novum quam ſanguinis mictu, miſerabili cruciatu expulſa.Sebaſtianus Roth, in diſputatione Medica Lipſiæ olim edita.

Virum Brielenſem tabe aff. ctum,& tuſſi valida in cura habuimus, qui calculos gypſeos (qui intra digitorum articulos,chiragra laborantibus, accreſcere ex pituita ſolēt)rejecit:quamvis & hic tabe,& phthiſi conſumptus obierit.Foreſtus libr.14.Scholio ad obſerv.26.

Joannes Volkamer,qui primarius fuit huius civitatis in ſua juventute laboravit continua tuſſi: nec tum quicquam ejecit,ita ut omnes exiſtimarent illum eſſe phthiſicū.Sed tandem cum nullum ſentiret uſum Medicamentorum,quibus uſus erat pro curanda illa tuſſi,forte fortuna cum vehementius tuſſiret,ejecit duos lapillos,ciceris magnitudine cādicantes,& leves ita ut plane referrent materiam ſui generis.Et ita ab illa tuſſicula,qua per longum tempus laboraverat liberatus eſt.Lapillos illos vidi apud ejus uxorem quæ adhuc retinet.De Joan Heſſi.Obſcā Camerario ad nos transmiſſis.

Exhibuit mihi D.Jacobus Gruberus,Phyſicus Elbacenſis vir doctus,& officioſus, lapidem rotundum, magnitudine nucem juglandem æquantem,quem puella Elbacenſis annorum quatuordecim,gravi tuſſi ejecerat abſque ſubſequenti aliqua evidenti læſione.Cæterum ſubſtantia, & color

Digitized by Google

ejus lapidis fuit fere talis, qualis eorum esse solet, qui ex vesica à lithotomis excinduntur. Jacobus Octhæus lib. observat. propriarum.

Legens c. 23. Observationum Dodonæi, meæ recordatus sum miseriæ. Nam annum agens 21. biennio fere mihi non fuit infrequēs calculos per tussim reijcere, non magnos quidem sed q lenticulā tamen æquarent: colore candidissimos substantia tophis, qui podagricorū articulis innasci solent, persimiles. Verum sine ullo medicamentorum usu, post peregrinationem in Italia & ductam uxorem, nihil deinceps ejusmodi, Dei beneficio percepi. Gabelcover suis ad nos observationibus.

Lapillos in pulmonibus studiosi cujusdam rotundos albos tophaceos, uti & in testibus sectione inveni. C L. V. Platerus de observat. propriis.

Ego Solenander etiam in Pulmonibus genitum vidi, atque meis manibus exemi in Hospitali Pisano, cum corpus ad sepulturam delatum esset, cujusdam adolescentis, qui tabe interierat. Reinerus Solenander opere consil. consilio V. fol. 493.

DE CALCULIS IN CORDE ET ARTERIIS.

CAPVT VII.

CUidam mulieri suppurata pulpa cordis in multos dies urina purulenta effluxit eaque quarto mense mortua, & dissecta, inventi duo calculi, & abscessus divisi in corde. Hollerius. Commen. 1. in libr. 6. sect. 2. aphorism. 4. Coac. Hipp. Eandem historiam repetit comment. in aphoris. 75. lib. 4. Hipp. his verbis.

Contingit semel mulieri nostræ ætatis, quæ quatuor menses integros minxit pus, & aliquando propter puris acrimoniam sanguinem puri cōmixtum. Medici cōsulti adhibuerunt remedia, ac si renes exulcerati fuissent, quod in eis per intervalla magnum dolorem sentiret mulier. Hæc moritur quarto mense, dissecta est, inventi renes integri, & vesica integra: at in corde inventi sunt duo calculi, & abscessus multi, qui expurgabantur per urinas atque in transitu pus dolorem infligebat renibus Sic solus sanguis potest à thorace demitti ad vesicam ut excernatur. Ejusdem historiæ meminere Scholiographi ad cap. 29. & 50 lib. 1. Hollerii de morb. intern.

In Im-

In Imperatoris Maximiliani secundi corde secto, inventi sunt tres lapilli quãtitate pisorum, unus interim major altero colore rubigineo. Frequenter vero cordis palpitatione gravi afficiebatur, dum viveret. Wierus de præst. dæm. lib. 4, cap. 16. edit. 6.

Nuper in Cæsaris corde, qui palpitatione cordis frequenter corripi solitus erat, veluti lapillus quidam niger repertus fuit. Erastus in consi. quod numer. 10. est, libr. 3. Consil. & Epist. à Scholzio cum Cratoniatis edito, pag. 83.

Respublica Norimbergensis, Hieronymum Schreiberum ob ingenii dexteritatem in alumnum suum suscepérat, qui tempore Joannis Baptistæ Montani Veronensis, Patavii aliquandiu auditor factus relicta tandem Italia ad nos Parisiorum Lutetiam, Anno 1547. concessit, & sub D. D. Jacobo Sylvio, D. D. Hollerio, D. D. Fernelio professoribus Regiis Medicinæ operam dedit. Hic Martio Mense præscripti anni in atrocissimum & incognitum morbum incidit, cuius causam præceptores ex nimia cholera & bilis ebullitione profectam, & in cholicos dolores transiisse existimabant. Cæterum cũ Majo Mense vitam cũ morte cõmutasset, nos patriotę Germani abditam morbi causam indagare constituentes, dissectionem cadaveris aggressi sumus. In qua, cum substantia cordis dissecaretur, repertus & excisus est lapillus nucis muscatæ instar durus, subnigricans, rotundus, & pondo drachmarum aliquot, quem præceptores, & plurimi honesti viri alii manibus attrectantes, non tam viderunt, quam singulari eius admiratione tenebantur. Itaque sepultus est Noricus ille Schreiberus in Cœmiterio Maturinorum Lutetiæ, non adeo procul à sepultura Joan. de Sacrobusto Mathematici. Collegerat ille de diebus criticis opusculum, viris doctis cum primis laudatum, quod velut imperfectum relinquens cum authore sepultum creditur. Abrahamus Myrgelius, suis ad me literis, 12. Iulii Anno 85. Lindavio datis.

Anno Domini 1553. repertus est lapis ferreo colore in Corde Clarissimi & Celeberrimi Medici Hammonis ex Granatensibus oriundi, qui Solymanno Turcarum Imperatori à Medicinis præfuerat. Turneiserus part. 2. Onomastici Iatro-chymici.

Habemus domi Lapides excisos folliculo fellis, stomacho &c. corde &c. Cornelius Gemma.

Cuidam mulieri suppurata pulpa cordis in multos dies urina purulenta

tá effluxit, eaque quarto menſe mortua & diſſecta, inventi duo calculi, & abſceſſus diviſi in corde. Jacob. Hollerius.

Vidimus in Doctore Aretalenſi urinæ difficultatem cum maximo renum dolore, & arenulis rubentibus, cuius diſſecto cadavere renes integri inventi ſunt, ſed in thorace hydrops, & concretus in corde lapis, qua parte materiam in ſiniſtrum cordis ventriculum, & inde ad renes ferri ſolitam probabile eſt, quæ eo itinere præ calore in arenulas concreſcebat. Sed & ſeri ex pulmone ingens copia in abdominis capacitatem penetraverat, haud ſecus atque ſæpe cæcis ductibus ex abdominis capacitate in hydropicis redundat in thoracem. Deſ. Jacotius.

Aliquando obſervauimus graviſſimum renum dolorem per intervalla recurrentem cum arenulis rubentibus in urinis, ex quo æger tandem interiit. Corpore diſſecto integri renes inventi, tuberculum vero in corde durum calculi inſtar apparuit, cum hydrope thoracis, de quo alibi dictũ eſt. Conjecimus per arteriam emulgentem bilis aliquid & putris materiæ confluxiſſe in renes tum ex corde, tum ex pulmone. Levis enim arteria pulmonis, quantum humoris ex pulmone ſuſcipit, id in ſiniſtrum cordis ſinum deferre poteſt, quod inde in magnam ipſius arteriam incidens, per renes hauſit in veſicam. Idem Jacotius.

In muliere quæ quatuor menſium ſpacio, incredibili urinæ cruciatu laboraverat, duo calculi reperti in corde cum multis abſceſſibus, integris renibus & veſica. Et alibi. Mulieri cuidam intolerabili cruciatu, urina purulenta profluebat. Mortua poſt quartum Menſem, & diſſecta, duo calculi in corde, cum multis abſceſſibus parvis inventi, renibus integris, & viis urinæ. In qua veriſimile eſt, aut potius neceſſarium pus acre per urinas naturam expurgaſſe, quoad fieri potuit. Scholiographi ad Jacob. Hollerium.

Hanc (retorridam bilem) in duobus, qui à valida pilæ exercitatione repentina morte, ſublati ſunt, illic (in arterias effuſam) deprehendimus, in tophi nigri ſpeciem concreviſſe. Jo. Fernelius.

Semel cuidam ſeni à nobis diſſecto, præſentibus ſtudioſis, plurimi lapilli viſi ſunt, accreviſſe circa baſim arteriæ magnæ. Huic & officulum aderat inſtar malleoli inter cartilagineos circulos cordis, arteriæ, aortæ, & venæ arterialis, ipſa ſpecie prorſus cum cordis cervini oſſibus comparandum. Credidi hunc ex inflammatione arterioſi ſanguinis occalluiſſe, hic enim toto fere arteriarum procurſu velut ſanioſus, purulentus, lividus, ac

ſparſim

sparsim quoq; cõcretus apparuit. Cor. Gemma: cujus saxei crassamenti picturam circa membranas sigmoides arteriæ aortæ ex eodem subjecimus.



DE CALCULIS IN OESOPHAGO ET VENTRICULO.

CAPVT VIII.

MUllierem vidi gravidam, cui tuberculo duro eoque ingenti ita os ventriculi obturabatur, ut quicquid indebatur attracto ventriculi ore, mox remearet, atque redderetur. Sic astantium omnium judicio nihil cibi potusve, bimestri, vel conatu maximo ea voravit. Tandem morbo, desipientia, febreque confecta decessit, edito partu, quem vitæ superstitem reliquit Joan. Fernelius.

Illi qui dicunt se olfacere semetipsos quando comederunt, illorum orificium est corruptum per tartarum: sic tartarus ubi humefit, ardet sicut calx, hæreque est prima generatio. Altera est grandinis, quod in summitate stomachi & orificii lapilli parvi adhærent: & illi qui habent dicunt, dum comedunt & deglutiunt, se dolere: quoniam ita commovent ibi grandines, quæ in orificio sic generantur: non faciunt orexim, sed in deglutiendo sentiuntur. Et illorum, qui sic habent egestiones, si videas vel laves, lapillos cernes habere. Theophrast. Paracels.

Nuper laudabilis vir Magister Johannes Juliani de Forolivio misit ad me lapidem, ad communis nucis quantitatem, vomitu expulsum, post stomachi dolorem, & erat illius lapidis durities gypsi positi in ædificiis, & lapidis forma instar ovi erat oblonga & rotunda. Gentilis.

Non

Non ſolum lapides generantur in renibus & veſica, imo etiam in ſtomacho: quos quidam per vomitum ejiciunt. Gilbert. Anglicus.

Ex quo Nicolaus & Arcuſtanus repetunt. Ugo refert cuidam ex Ventriculo evomitos. Thomas à Veiga.

Poteſt in pluribus partibus noſtri corporis lapis, veluti in pulmone, ſtomacho, inteſtinis, &c. Anto. Gayfferus.

Conſtat inter exempta quendam lapidem nucis juglandis magnitudine evomuiſſe. Alex. Bened.

In anatomia apud Veteres in cujusdam ventriculo tres lapides inventi ſunt. Theoph. Paracelſ.

Lapides in omni fere corporis parte ortum habent, in capite, inquam, in ventriculo &c. Ant. Muſa Braſſavolus.

Multis inventi ſunt lapides in articulis, jecore, liene, ventriculo. Scholiographi Jacob. Hollerii. Generantur in veſica fellis certe atque in ventriculo. Cardanus.

Habemus domi lapides exciſos folliculo fellis, ſtomacho. Conrad. Geſnerus.

In ventriculo hominis calculos rotundos, duros, & albos colore inventos Norimbergæ amicus quidam meus anatomes peritus mihi retulit. Idem.

DE CALCULIS IN HEPATE.

CAPVT IX.

Kentmani.

Maljar

Mulier quædam nobilis, dolore exorto circa jecinoris partes, cum diu multumque angeretur, ac propterea quam plurimos medicos consuluisset, effugere tamen id malum nullo præsidio poterat. Quare opem nostram una cum aliis experiri placuit. Convenimus igitur plures medici, & quænam essent huius morbi abditæ causæ, hinc inde plurimo sermone discussimus. Verum ut contingere in rebus dubiis plærumque solet sententia non convenimus. Cum pars jecinoris abscessum, pars malum habitum indicasset: nos vero vitium in membrana contegente inesse credebamus. At illa cum invalescente morbo paucis post diebus, ut nos etiam ex certis inditiis pari consensu prædixeramus, è vita migrasset, mortuæ corpus incidendum curavimus. Et inventæ sunt in jecinoris membranulæ parte decliviori congesti lapilli, figura & colore diversi. Alii enim rotundi, alii angulares, quadrati alii, prout positura & casus effecerat, maculis etiam rubeis, albisque distincti. Hi sua gravitate ex tunica sacculum longitudine palmi, latitudine vero duorum digitorum effecerant. Hanc autem nos mortis causam arbitrati, disputare de obscuris vanum & inutile judicavimus. Ant. Benivenius. Ex quo si non eandem, certe similem historiâ, infra ubi de calculis in vesicula fellis tractamus, recensuimus.

Admirabile est, quod referendum censuimus, Quum Venetiis Augustini Ducis ex Barbadica gente, dissecaretur defuncti cadaver, ut eximerentur interanea, in hepate inventus est Lapis, prope cystin fellis, magnitudine grandioris olivæ, coloris serpentini, in nigredinem tendentis. Lud. Cælius Rhodiginus. Eandem historiam ex eodem, ut videtur, Cælio, explicatis nonnullis Cardanus his verbis recensет:

Apparent in quibusdam hominibus res monstrificæ qualis in Augustino Barbadico Patricio Veneto, qui cū dissectus, quod ex incerto morbo obiisset, inventus est Lapis in jecore, juxta fellis vesicam, grandior olivæ nucleo: &, quod magis mirum est, viridis ad nigredinem declinans, qui color durioribus lapidibus solum inesse solet.

In jecore & aliorum olim, & postremo Senatoris inventos lapides (vidimus) atros: qui in aquam injecti intumuere. In Remigis epate unum durissimum, carnei coloris diluti. Jul. Cæs. Scaliger.

Hisce diebus ego & amici aliquot mei secuimus cadaver hominis, qui diuturno morbo laboraverat, &c. respeximus ad epar, tanquam in eo causam morbi manifestam visuri. Id reperimus grande colore nigricante, & fere tali, qualem in splene alias conspicimus, folliculus fellis pleniſſimus

erat bile. Hepatis venæ in parte ejus cava, priuſquam in communem illum caudicem portæ deſinunt, omnes obſtructæ erant, lapillis eas diſtendentibus foris nigris, intus flaventibus. Porro & ille meatus, qui ex folliculo fellis in inteſtinum deſinebat, lapide ejuſmodi obſtructus erat, hunc cũ eximiſſemus, nihilo magis tamen bilis effluxit: coaluerat enim foramen illud deſuetudine bilem ad inteſtina mittendi. Hanc iſtius meatus obſtructionem ego cauſam fuiſſe video icteritię, cum qua hic homo ante hydropem longo tempore conflictatus fuerat regurgitante ad totum ambitum venarum bile, quæ purgari per totum inteſtinum debuiſſet. Nam meatus ille, qui ex folliculo fellis in Hepar eſt, liberrimus erat, &c. Jacob. Camenicenus ad Matthiolum.

De lapillis in iis venis repertis, quę ex jocinoris cavitate interiore in venæ portæ caudicem deſinunt, ſi meam tibi dicam ſententiam, nulla mihi ſeſe offert ratio, quæ non conſentiat, id fieri in jecore facile poſſe, quemadmodum in renibus, veſica & articulis. Namque tametſi id non dixerit Galenus, hoc tamen nihil obſtat, quo minus etiam in jecore, ut in renibus, oriri calculi poſſint. Quippe cum in jecore eadem ſit materia craſſa glutinoſave calculis gignendis idonea, nec ibi calor deficiat, cujus vi lapideſcat, nihil prohibet, quin calculi etiam ibi fieri poſſint. Dicebat enim Galenus, libro de renum affectuum dignotione, lapidem in homine à calore generari, coque vel vehementi, vel tepido. Si craſſa materia eſt (ut ille inquit) ſufficere poteſt tepida & moderata caliditas, & quæ naturalis eſt, ad firmãdam & indurandam terræ modo hanc materiam: eſt enim craſſities ad generandum lapidem ſingulariter accommodata. Sin tenuior eſt vehementiori, tunc plane indigebit caliditate, ſive naturali, ſive præter naturam, qua durefcat in terram. Siquidem calor tenues materiæ partes diſſolvit, atque ita ubi valuerit lapidem conformat: hæc ille. Quibus palam eſt non eſſe præter naturam ſi in jecore etiam Lapilli gignantur, cum ibi non deſit materialis cauſa, nec efficiens, nec inſtrumentalis, quibus ii in eo generari poſſint, cum eo obſtructo quandoque craſſa, quandoque glutinoſa, quandoque ambo ſimul ibi hæreant excrementa, calor non deficiat, nec vaſorum cavitas, in qua calculi gignantur. Nam ſi craſſus glutinoſusve ſuccus, qui in renibus lapideſcit, ex jecinore per venam cavam fertur in renes, nihil ſane prohibet quo minus in eo lapideſcere poſſit, ubi hæſerit diutius. His rationibus itaque fretus, crediderim ego lapides in jecore ut in renibus frequentiſſime gigni. Sed quoniam propter viſceris inſenſibilita-

ætatem non excitant dolores(dubium hoc videtur)nec expelluntur extra corpus,nec videri possunt, nec tangi, quemadmodum qui in renibus & vesica fiunt,sed in occulto delitescunt, in Medicorum considerationem non veniunt. Quo fit ut his ignoratis quandoque mirentur Medici,cur in iis morbis, qui ex jecinoris infarctu oriri solent, nihil penitus curare valeant ullo medicamentorum genere. Lapidem amygdalę nucis quantitate in Aureliæ Petruciæ jocinore,Pandulphi Tyranni conjugis Senis repertum esse scio,in quem interitus illius causam rejiciebant Medici. Pet. And. Matthiolus. ad Jac. Camenicenum.

Ut à Peucero Philippi Melanchthonis genero (viro illustri doctrina, perito rerum & exemplorum omnisque vetustatis,quo cum mihi vetus & jucunda necessitudo intercedit)accipio, utq; idem in Commentario suo, de divinationum generibus memorat,tres lapides reperti fuerunt in hepate. Hieronymi Scribæ juvenis Norici,mirè studiosi,docti ac periti,quõdam Valerii Cordi Comitis,per Germaniam & Italiam, amicorumque ipsius,quos coluit,intimi,qui Cordum florente ætate Romæ extinctum Parisiis 1547. non multo post morte subsecutus fuit.

Utriusq;(proh dolor)immaturus interitus deplorãdus est, ppter singularia ornamenta,quib eminebant,ut qui patrię universæ emolumento atque gloriæ superstites futuri fuissent. Lapidum eorum unus præcipue magnitudinis,dimidiatum fere columbæ ovum adæquavit, totus unguiosus,colore livido,ex phlegmate & humore melancholico conglutinatus. Ita vero hepatis carni adhæserunt,ut panniculo jecur tegenti contigui essent,omnes modice solidi. Joa. Kentmanus.

Alium item Johannes Crato, Cæsarius Medicus, Epistola ad Gesnerum Valerii Cordi operibus præfixa in ejusdem vesicula fellis natum & exemptum docet:de quo paulo post.

Multis in articulis,jecore,&c. inventi sunt lapides. Scholiographi in Jacob. Hollerium.

Generantur lapides præter naturam, vel in renibus, vel in hepate, &c. Gabr. Fallopius.

Habemus domi lapides excisos folliculo fellis &c. hepate, &c. Cornel. Gemma.

Lapides innumerabiles pene hisce manibus extraxi, inventos in renibus,colore vario,in pulmonibus,in jecore. &c. Reald. Columbus.

Lapides, qui ab abscessu redduntur, ossibus similes esse solent, colore

fusco: tales ab abscessu hepatis, Matris doctissimi cujusdam Nemausensis, redditos vidimus. Rondeletius.

Cum aliquando sectionibus corporum Venetiis operam daremus, in quibusdam cadaveribus, quæ in illis hospitalibus secuimus, reperiebamus interdum lapideas quasdam durities, in jecinoris substantia concretas. Trincavella cap. 6. lib. 10. De rat. curand. part. hum. corp affect.

Anno 1559. Gabriel Fallopius, dum Patavii in publico Gymnasio Anatomem administraret, in jecore suspensi quinque lapides, parum inter se distantes, magnitudinem ciceris æquantes, reperit, & omnibus qui ibi aderant Scholaribus ostendit. Dominicus Leonus de arte Medendi lib. 5. cap. 6.

Cuidam amico nostro Parisiis extincto, meminimus grandem, cum evisceraretur, lapidem è jecinore excisum, quem ex phlegmatis aliqua, & aliqua melancholici humoris parte coagulatum fuisse lividus pallor indicabat. Peucerus lib. de Præstig. Medicor. p. 310.

In hepate arenulas copiosas, & calculos, tophosque non solùm in hominibus, sed & bestiis reliquis, præsertim cornutis, atque iis, quæ sale admodum delectantur, sæpenumero nasci, & sectio, & quotidiana docet experientia. Præter enim arenulas, nunc exacte rubras, nunc flavas, calculosque varie colloratos & effigiatos, tophum coralloidem ramosum, album, cavum intrinsecus, & sanguine atro refertum, ex hepatis substantia secui. Quæ documento nobis sunt, multis hepatis obstructiones duritiesque, quas cachexia, hydropsque sequuntur, non solum ab humoribus, sed & ejusmodi corporibus, quorum practici tamen non meminerunt, frequenter quoque proficisci, iisque tamen in molem aliquam adaucta, cum è corporibus viventibus nec extrudi sponte, nec eximi ulla arte possint, abstrusa, incognitaque nobis manent, una cum ægrotantibus sepeliuntur, causaque sic ignoratur. V. C. L. Felix Platerus de Observ. propriis.

Nobilis à Remerstall ictericus & cachecticus dolorem in regione hepatis ex compressione fortuita cum copiosas arenulas adeo rubicundas & cruentas, ut ex contactu res tingerent, per vrinas dejecisset, tumore aliisque malis liberatus evasit, causamque hujus mali hepatis arenulas fuisse comprobavit. C. L. V. Felix Platerus, de obs. propriis. Hepar viri ex hydrope mortui in Austriæ pago Bissenberg aperui, & illud arena copiosa refertum inveni. C. L. V. Cyriacus Lucius de observat. propriis.

In Friderici Clegeri, prædivitis Mercatoris diuturnis doloribus circa dex-

dextram mammam vexati, hepate, viginti quinque lapides deprehensi sunt, quorum minimus æquabat fabam, pondus omnium unc. ij. & drach. iij. forma saxum cornutum ruffum (vulgo roter feirſtein) referebant, duritie vero Smiridem: obiit in vico Mediolanensis ducatus, Boschi dicto, dū Genuam concedere, atque inde in Hispaniam solvere constituisset. Turneisserus.

Obsignatis meis literis, suggerit mihi historia, quæ apud nos percrebuit in Electorissa Palatina Heydelbergæ ante aliquot annos defuncta, cujus corpore dissecto, inventus est ren saltem velamine circundatus, fere in lapidem concretus, atque alia. C L. V. Esaias Meichsnerus de Observat. propriis.

DE CALCULIS IN FOLLICULO FELLIS.

CAPVT X.

Calculi descripti à Kentmano.



C. 3; A. Cal-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

A. Calculus excisus à Valopio inter alios 123.
B. Calculus Friderici III. Electoris Saxoniæ.
C. Lapides Badehornii.
D. Lapis per medium fractus.

Cornelii Gemmæ.

Lapidem in poro fellis Gentilis dixit se invenisse in quodam anatomisato. Et ego vidi lapidem generatum in cysti fellis in uxore Domini Gianozi de Pandolfinis. Nico. Nicolus. Eandem historiam ex Gentili citat Joannes Arculanus.

Decessit his diebus mulier nobilis Diamantes nomine, dolore prostrata calculi, sed cum nullum antea ex eo percepisset nocumentum, visum est Medicis mortuæ Cadaver incidere, & reperti sunt lapides quamplurimi, non quidem ullus in vesica, ut putabatur, sed præter unum, qui in tunica fellis coloris atri & magnitudine castaneæ aridæ continebatur, cæteri omnes in panniculo, quo contegitur hepar, unde etiam veluti in folliculo dependuli sacculum effecerant. Hanc autem nos mortis causam rati, sapientis viri consilium esse duximus, nihil omnino de incertis & occultis verbis statuere. Ant. Benivenius. Parum ab hac abludentem historiam require supra inter calculos hepatis ejusdem authoris.

Lapillum generatum in pulmonibus fidem facit Galenus, alii in intestinis, quibusdam sub lingua inventum scripsere, in fellis folliculo sæpius. Alex. Benedict.

In folliculo fellis plures non semel conspicatus sum. Hier. Montuus.

Bello armati Senensis, summi Jurisconsulti, bilis vesicula præter modum pallebat, illaque decem & octo lapilli continebantur, perquam leves ac trianguli imagine æquis undique costis ac superficiebus formati, colore virides, ac quasi nigrescentes, at quum exsiccati essent, magis videbantur cineri-

cinericei, mole cicera referentes. Andreas Veſalius. Andreas Lacuna cum aliis noſtratibus Anatomicis lapides in veſica fellis deprehendit. Thom. à Veiga.

Proſperum Martellum Patricium Florentinum (qui multis annis regio morbo laboraverat, ac inſperata ſubitaque morte, ut Bello armatus interierat) etiam diſſecui, quum Florentia abiturus, ac in Franciſci Campani à Secretis Duci Primarii comitatu, nobilis illius ædes præterequitans à Dominis quibuſdam coactus ſum cum aliquot chirurgis, qui jam rem aggredi cæperant, mortis cauſam inquirere, quæ bilis in ventriculum injectio erat præcipua, is enim ſola bile occurrit turgidus, una cum jecoris ſcirrho, & illius contractione, ſeu in unum condenſatione, quum lien interim mollior & grandior naturali eſſet, ſanguinique parando ſubſervisſe videretur: bilis tamen veſicula duorum pugnorum magnitudinem facile adæquante, & exiguis capillis quodammodo plena, qui invicem connexis granis ſeminibuſve milii, aut potius aſperæ ſuperficiei vulgaris officinarum tutiæ erant quam ſimillimi. Ubicunque venas aperirem, nihil præter denſiſſimam bilem inveni. Imo & in arteriis occurrens liquor, manus non minus, quam bilis ipſa tingebat. Andr. Veſalius.

Calculus in cyſti fellis plærumque concreſcit niger, ſed tamen levis, & qui aquæ immerſus innatat, neque, ut qui è renibus aut veſicis evellitur, ſubſidet in imo. Origo illi eſt à flava bile, quæ proprio conceptaculo diutius coercita, nec tempeſtive vacuata, nec novæ influxu renovata, mirum in modum obdureſcit. Id autem in primis accidit, quum uterque cyſtis ductus obſtruitur. Hujus quidem neque manifeſtæ ſunt notæ, neque gravia ſymptomata, quibus certo ac facile detegi poſſit. At ſuſpectus iis eſſe debet, quibus gravis & diuturnus fuit icterus. Decrepitus quidam ſenex in iram mire propenſus, poſt deceſſum ſine felle, ac ſine cyſti inventus eſt, in cujus ſede calculus ingens concreverat. Quin etiam poſt diuturnum icterum, oborto alui profluvio, hujus naturæ innumeros calculos, inſtar piſi aut hordei in plæriſque exturbari deprehendimus. Joan. Fernelius. qui alibi quoq; ſic habet. Veſiculam (fellis) nonnunquam deprehendimus ſubnigris calculis, iiſque duris ac ſolidis confertam; Hactenus ille.

Generantur in veſica fellis certe atque in ventriculo. &c. Cardanus.

In compoſitione accidunt vitia inſanabilia, quonſam dum curantur mortem afferunt, velut lapis in veſica fellis, & in renibus durus & magnus, & cor-

& cornea obſtructio, quæ potiſſimum ex ulcere, in meatu vitæ neceſſario quam conſolidato oritur, &c. Idem.

Oriuntur lapides in animalibus duobus modis, altero quidem frigore, ut in limace &c. altero à calore, ut in taurorum veſica fellea ſæpe, & in hominum etiam aliquando, nam inventus eſt annis ab hinc paucis ante lapis in follea veſica hominis, eo ſcabici genere, quod Lepra vocatur, laborantis. Idem Cardanus.

Nec tantum in renibus & Veſica, ſed in fellis folliculo, bilis quoque epatis aduſtione in lapidem concreſcit: in quo diſſecto Friderici Ducis Saxoniæ Cæſaris Romani Electoris, corpore (Joan Kentmannus paulo poſt in renibus, folliculo fellis, veſica etiam enatos docebit) tres juſtæ molis lapides reperti traduntur.

Neoburgi ad Danubium Virgo veſtalis continuis ſub hypochondrio dextro torminibus affligebatur: quum Medici nec cauſam tam diuturni doloris reddere, nec opem ferre poſſent. Defunctæ corpus Illuſtriſ. Princeps Othonricus Comes Palatinus diſſecare juſſit: in quo cætera viſcera, præter epar, illæſa reperta fuere, de quo folliculus fellis, pondere lapidis incluſi pendulus, in ſubſtratum inteſtinum procubuerat: quod (mirum) inoffenſo fellis utero, motu attriverat. Jo. Langius.

Multis in folliculo fellis (nati) leves, nigri, flavi, innatantes aquæ, qui quandoque excluduntur deorſum.

In nobiliſſima muliere quinquaginta tres repertos, ſecto folliculo, vidimus in Arvernia, quos adhuc habemus. Scholiog. ad Jac. Hol.

Tecum diſputarem libenter de concretione lapidis copioſiſſimi atque maximi, quem ego ſæpe & ſæpius, cum in ipſa, tum in meatu ab hepate ad inteſtinum lato reperi, ſed locus hic minime iſtud concedit. Gab. Fallopius ad Petr. Mannam. Med.

Sub quarto genere dixi contineri lapides, qui in animalibus generantur: & hi ſunt in duplici differentia: nam aliqui ſunt toto genere præter naturam & dicuntur præter naturam reſpectu animalis, licet à natura fiant. Generantur autem lapides iſti vel in renibus, vel in hepate, vel in liene, vel in veſica utraque, vel in articulis. Horum itaque lapidum materia eſt humor viſcidus, & craſſus, qui aſſatus concreſcit in lapidem. Humor autem iſte habet ortum ex cibariis terreſtribus, quæ cum non poſſunt concoqui, & verti in ſanguinem, abeunt in humorem craſſum & lentum, qui deinde aſſatus lapideſcit. Sed dubitaret aliquis de lapide illo, qui generatur aliquã-

do

do in vesica fellea, videtur enim, quod in vesicula illa non possit gigni lapis, quoniam fel est amarum & incidit, imo factum est ad detergendum atque ad exhibendum penetrationem humoribus, per totum corpus, ergo incidendo materiam illam viscidam, non permittet ipsam lapidescere. Dico, quod ex bile illa per se non fit lapis, sed utique per accidens, quia scilicet commiscetur secum humor lentus, qui assatus à caliditate bilis lapidescit, & ita bilis concurrit potius, ut agens, quam ut materia. Igitur materia lapidū illorū, qui toto genere sunt præter naturam, humor est viscidus, & crassus. Alii generantur lapides in animalibus, qui sunt secundum naturam, & semper in ipsis fiunt, &c. Idem Fallopius.

In Hieronymi Schreiberi Norici, Parisiis extincti cysti fellis insignis calculus, ut memorante Jo. Pontano audivi, repertus est. Jo. Crato.

Galenus quidem, quod meminerim, lapides in renibus, & vesica tantum, interdum vero etiam in intestinis generari credidit. Quod autem in jocinore generentur, id aut nescivit, aut si scivit certe scriptis non prodidit. E Georgio Boemiæ Rege, adhuc hodie folliculus fellis, post mortem exemptus, extat, in quo loco bilis, lapis durus continetur, hæmatitæ lapidi colore similis, res miranda profecto & digna, de qua te audiamus, &c. Jaco. Camerarius ad Matthiolum.

Non secus atque in pulmonibus phlegma, ita quoque flava bilis, prius hepatis calore adusta, postea in lapidis formam in fellis folliculo concrescit, unde eos eximi ante experientia probavimus, sed ex illis ipsis lapillis bilis receptaculo inhærentibus, magnas obstructiones in vasis, multaque violenta symptomata consequi non minus compertum est: in quibus vel peritissimi Medici ætate provecta hærere atque impediri queant, ambigētes nimirum, unde tam ancipites ægrotationes & accidentia ita varia existant. Atq; usu attentioribus Medicis inter secandum corpora humana veniſſe audivimus, non duos solum aut tres, verum aliquando cētenos quoque in eodem receptaculo tales calculos, ut reperirent. Utinam sæpe multumque in dubiis præsertim ac periculosis casibus similiter fieret, atque ab extinctorum cognatis precibus obtineretur, secare corpora ut integrum esset, non dubito ejusmodi sæpe res oblatum iri, quæ usu notatuque utiles atque dignæ forent. Jo. Kentmanus.

Qui in fellis receptaculo fiunt lapilli, magnitudine lentes, pisa, fabas, avellanas, aut digitorum articulos, vel juglandes etiam adæquant: forma partim rotundi, partim anguloſi, iique aut pentagoni, aut heptagoni, aut

octagoni, aut plurium etiam angulorum: quo enim plures simul reperiũtur eo magis sunt anguloſi: omnes ut tophi leves, colore ad flavum accedente, qui cum ipſis augeſcentibus paulatim in croceum mutatur, modice ſolidi: fracti intus ſubpunicei apparent, pleni anguſtis circulis ſe invicem ambientibus, ita ut videre ſit, cuivis ſaltem obiter advertenti, quomodo lenta & viſcoſa à centro ad uſque ſuperficiem ſenſim adhæreſcens accreverit, & hepatis fervore in eam ſoliditatem durata fuerit. Idem Kentmanus.

Eximii atque clariſſimi viri, D. Badeborni Juriſconſulti, hodie conſulis Lipſenſis frater (cui Materno nomẽ, quo ego familiariſſime uſus fui) ſummo ingenio adoleſcens, (forma ac ſpecie liberali, animo læto atque alacri, in omnibus rebus comis, & perquam humanus, moribus quoque compoſitis & temperatis) in Italiam ſtudiorum cauſa proficiſcitur, indeque domum reverſus, queri ſenſim de ſtomachi, & hypochondrii dextri torſionibus, nec non de nauſeæ moleſtia cæpit. Erat enim ἄτροφος, & alvo ſemper ſtrictiore, quæ ſymptomata ſomno ipſum privabant, unde & membrorum corporis laſſitudinem, & mœrorem, & melancholicas affectiones, tabem quoque conſequi neceſſe fuit: quibus malis miſer tantiſper infeſtabatur, donec & dolore & mœſtitia leniter emarceſceret. Multifaria remedia, plurimorum doctorum conſilio adhibuit, verum fruſtra, quod ægritudinis rationem recte videret nemo. Plures ex Medicis, quibus tum utebatur, & cognatis ſuis arbitrabãtur ipſum in Italia φίλτρον hauſiſſe. Cũ igitur in vera invocatione filii Dei deceſſiſſet, magnitudine dolorum fractus, quod factum fuit, anno 1551. ætatis ſuæ 29. corpus defuncti permiſſu fratris ſectum, membris intus omnibus ſalvis, atque integris, corde ſaltem modice tabido fuit. Ubi vero fellis veſica aperta, intus 22. calculi, quaſi ſublutei magnitudine diſpari reperti fuere, quorum minimi piſis minutis, maximi modicis fabis reſponderunt. Omnes quinque, ſeptem, octo, aut plurium etiam angulorum: Jo. Kentmanus.

Paris formæ, ſed numero plures calculi è fellis veſica Chriſtiani Regis Daniæ vita defuncti, exciſi dicuntur. Is diem ſuum obiit anno ſalutis reſtauratæ Milleſimo, quingenteſimo, & quinquageſimo nono. Idem Kentmanus.

Raræ magnitudinis lapis in eadem cyſti memorandi Principis Friderici tertii cognomento Prudentis (cujus paulo poſt, ubi de veſicæ, quæ vrinæ receptaculum eſt, Lapillis egero, mentio fiet) perveſtigatus fuit, forma qua-

quadrangula, articuli granditate, ſed colore aliorum diſſimilis quaſi ad praſinum accedente. Idem Kentmanus.

Hoc duplo majorem nobiliſſimus Anatomicus Gabriel Vallopius, in poſtrema ſua Anatome, quam paulo ante obitum anno 1562. in celebri Academia Patavina abſolvit, è felle viri cujusdam inter cæteros, quorum centum & viginti tres numerati fuere, exemit, inſtar ſemiovi gallinacei, grandiuſculum, latiorem, quam rotundiorem, digitum unum craſſum, multisque tuberculis aſperum, ut tophus levem & luteum: reliqui modicas fabas: minimi atque plurimi, piſa quantitate retulerunt. Joan. Kentmanus.

In bilis veſicula varii coloris, variæque figuræ lapillos & in nonnullis complures inveni. Reald. Columbus.

Habemus domi exciſos folliculo fellis, ſtomacho, &c. Corn. Gemma.

In folliculo fellis per inflammationes proximorum viſcerum, aut obſtructiones diuturnas coaluiſſe deprehendimus: erant hi fere anguloſi, exterius nigri, intus ſubflavi, fuſci ac ſæpe coloris varii. Exemi ab uno hydropico ſecto ſolius fellis calculos 32. quorum minimus piſi communis magnitudini reſpondebat, maximus nuci avellanæ. Idem Gemma.

Anno 1567. illuſtrem Joannem Chaſteigner, Dominum à Rupe Poſerii & ſeptem calculos inveni, quinque ſcilicet in veſica, craſſitie ovorum palumbarum, unum in fellis folliculo, & ſeptimum in rene dextro. Verum non conqueſtus niſi circa ſuos ultimos dies ſuper ardore & difficultate urinæ. Ferrandus.

Die 2. Junii 1567. in cadavere Caroli Tiercelin Domini à Rupe du Mayne, equitis magni ordinis Regii, nec non caput 500. militum, repertus eſt in veſica, ingens calculus circumdatus ingenti humiditate putri, purum pus repræſentans, plures lapilli in renibus, unus niger in folliculo fellis ovalis, ſubaſper, & parvus, &c. Idem Ferrandus.

Ego diverſis in locis calculos vidi, & in fellea veſica præcipue, quæ poſt renes veſicamque urinariam, frequentiſſime calculis infeſtatur. Adferam hic aliquot exempla, ex quibus & addiſces ſymptomata hoc malum ſequentia.

Bononiæ praxeos Medicinæ Ordinarius Profeſſor quidam nomine Beatus, habuit matrem ſexagenariam, quæ cum diutiſſime regio, ni fallor morbo laboraverat, & continuo ciborum vomitu excruciata fuerat, tandem mortua eſt. In ejus veſica fellea, multi reperti ſunt calculi, & in meatu

à vesica bilis ad duodenum intestinum magnus, qui eum meatum undequaque obstruxerat. Unde hac via obturata natura bilem in ventriculum exoneravit, ventriculus perpetua acrimonia stimulatus, omnia per vomitum rejecit. Fuerunt Medici, qui volebant hanc πυρροχόλιν fuisse, at cum non, nisi in hoc tantum morbo vomitu infestata fuerit, existimo proprium meatum minime à vesica fellea in ventriculum immissum, sed potius per inscrutabiles vias (ut in his, qui hepatis, vesicæque fellis magna laborant obstructione, quotidie cernimus) in ventriculum bilem flavam profundi.

Alias secui Julii Cæsaris Bovii, Joannis Bovii juris & Doctoris & Professoris Bononiæ Germanorum olim isthuc Mæcenatis filii famulam, senio & morbis confectam. Inveni in fellea vesica duos insignes lapides cæruleos, quorum alter quasi ovi columbini magnitudinem adæquabat, laborabat diu regio morbo, ac ultimo febri correpta, occubuit. Præterea in Palatinatu superiori quandam novi fœminam molestissima ac admodũ diuturna ictericia per calculi cum alui excrementis excretionẽ liberatam. Volcherus Coiter.

Rarum est (lapides nasci) in colo, pulmonibus & vesica fellis Scholiographus ad lib. Galen. de loc. affect.

Anno salutis clɔ Iɔ Lxxxii. cum Reverendissimus & Illustrissimus Princeps Elector Daniel, Archiepiscopus Moguntinensis, vigili Comate, in lethargum transeunte, corriperetur: adeoque fatali quadam infelicitate, propriis viribus plus satis confidens, me circa morbi vigorem primum accersiri curaret: accidit tandem ut mali violentia, non sine summa Imperii jactura, vinceretur, & ex caduca hac vita decederet. Cujus corpus cũ mihi à D. D. Henrico Garetio condiendum committeretur, naturalibus visceribus primum inspectis, dum intestinis eximendis occupamur, nescio quid durum occurrit: substitimus igitur paululum, deprehendimusque meatum bilis duodeno insertum præpinguem admodum, latum & utriculi instar inflatum, quem, rei novitate perciti, colligatum præcidimus, cũque calculis undiquaque refertum invenimus. Ex quibus majores omnes colore & forma exacte moschatam ita referebant, ut vel Apellis manum vincerent: minores pleriq; omnes plumbeum splendentemque colorem adeo repræsentabant, ut plumbeos globulos (vulgo nobis Schrôdt dictos) devoratos, ingestosque diceres. Fracti non admodum renitebantur, velut etiam attriti: intrinsecus flavi, gustu amari. Majorem quem mitto raritatis visen-

viſendæ, Dominus Ludovicus Backrelius Sacellanus de Societate JESU, nobis tum aſſiſtens, confregit. Integrum alium ejusdem formæ, ſed minorem D D. Camerario unà cum dimidia meatus parte dono miſi. Quod retinui id omne tibi jam ea conditione offero, uti, ſi tibi videatur optimi pacificique Principis hujus noſtri, quem ob Heroicas virtutes ſuas, maxime ſi authoritatem & tranquillitatem ejus ſpectemus, patriæ patrem juſto ſuo merito appellare debemus, hiſtoriam hanc operi tuo, pro acris ingenii tui judicio inſeras, adeoque poſteritatis memoriæ conſeceres. Perpetuo ille dũ viveret incredibili ſtu torquebatur, adeo quidem ut ſubinde argenteum ſcyphum, aqua plenum, ori proluendo, ſitique mitigandæ ergo, ad manus haberet: quantumvis alias temperatiſſimus, frugali & ad neceſſitatem tantum comparato victu uteretur. Ex obſervationibus C L. V. Jo. Frid. Traſſelmanni, ad D. Schenckium perſcriptis.

In Illuſtriſſimi Principis Joan. Marchionis Brãdeburgici felle inventus eſt Lapis oblongus, juglandis nucis magnitudine, viridis, ad obſcuriorem Malachitem accedens. Turneuſerus lib. de Urinis. Eandem hiſtoriam repetit in Onomaſtico, par. 2. & fere dum ſemuncię pondus habuiſſe cum lapidem, refert.

In veſica fellea unum (lapidem) nucis moſchatis figùra & magnitudine in nobili Conrado à Steinberch, anno 1582. ipſo die Michaelis exemi. Et anno 68. ſi recte memini, extracti ſunt ad centum lapilli compacti, ut grana in pomo granato inveniri ſolent, aut ut ſemina in ſpica grani turcici, ex veſica fellea in Illuſtriſſimi Henrici Ducis Brunſuicenſis corpore. Reinerus Lohnander opere ſuo conſi. conſi V. fol. 492.

In Illuſtriſſimo Gulielmo Duce Clevienſium &c. (cujus ego ex officio demortuum corpus aperui) in veſica fellea lapidem inveni, nigrum, durũ, aſperum, inæqualem angulosum, caſtaneæ mediocris magnitudine, duabus in partibus, utrinque quaſi digitis compreſſum, iis in partibus ut cornu ſplendeſcentem. Idem citato loco.

In Generoſi Comitis Philippi ab Hanaw, Generoſi Domini Comitis, Joan. Reinhardi, Domini mei clementiſſimi, fœlicis recordationis Domini Avi, folliculo fellis, ab Excellentiſſimo Domino Doctore Joan. Fridio, cui tum temporis fato jam diſceſſo, corpus condiendum committebatur, magnus numerus lapillorum, colore citrino nigricante, inventus eſt ultra mille, quem nobis cum nonnullis aliis conſpiciendum exhibuit. Georg. Graſecciusin ſuis Anatomicis.

Digitized by Google

DE CALCULIS IN VENIS ET SANGUINE.

CAPVT XI.

LApides hiſce manibus extraxi inventos in vena portæ, ut tu tuis oculis vidiſti Jacobe Bone in venerabili Ignatio generali congregationis Jeſu; Realdus Columbus. In inteſtino colo, & in venis hæmorrhoidalibus. Idem.

In ſanguine craſſam deprehendimus ſaburram. Jul. Cæſ. Scaliger.

Si diffuſo ſanguine grana quædam arenularum æmula offendantur, ajunt vel elephantiaſim vel propenſionem ad hanc notari: quanquam obſervantibus raro tale quiddam deprehenſum eſt. Jo. Fernelius.

Iectigatio venarũ eſt ex oppilatione Tartari in venis, & ſic ſæpe fit, quod vena inciſa non fluit, tũc dicunt noſtri quod melancholicus ſanguis ſit, quod non eſt verum, ſed eſt tartarus, qui oppilat, ideo bis aut ter vena eſt ſecanda, magis verſus principium obſtructionis donec fluat, vel imponẽdum, quod tartarum internum reſolvat. Nam ſi ſanguis ille lavetur, invenies lapillos, ideo non ſolum arena eſt, hæc quæ per urinam tranſit, ſed ea ubique eſt. Theoph. Paracelſ.

DE MESENTERII ET LIENIS CALCULIS.

CAPVT XII.

DUrus uſque adeo interdum deprehenſus eſt (tumor Meſenterii & ejus, quod pancreas appellatur) ut penitioribus ſub umbilico partibus vel os, vel calculus concreviſſe putaretur. Jo. Fernelius.

Andreas à Lacuna, quosdam cum aliis noſtris Anatomicis lapides intra Meſenterium conſpexit. Thom à Veiga.

Puero cujuſdam ſutoris, in meſenterio inventi calculi, Scholiographi ad Jacob. Hollerium. (Gẽma.

Habemus domi lapides exciſos folliculo fellis &c. meſenterio, &c. Cor.

Rarum eſt (lapides naſci) in colo, pulmonibus &c. Rarius fortaſſe, quod tamen

tamen sæpe vidi, toto Mesenterio. Scholiographus ad lib. Galeni de locis affectis.

Multis in articulis, jecore, liene, &c. nati calculi. Scholiographi ad Jac. Holler.

Generantur lapides præter naturam vel in renibus, vel in hepate, vel in liene. Gabr. Fallopius.

Lapidem in liene nobilis & generosæ fœminæ Christianæ Verin reperi, castaneæ magnitudine, subalbidum, alabastri mollitie, pondere unciarum duarum semis & drachmæ unius, laninis, ovorum putaminibus invicem crustatim involutis, similibus, concretum. Erat hæc fœmina juvenis, formosa, quæ subinde plenilunii tempore gravissime ex sinistro latere ad triduum usque affligebatur: quo exacto Doctor eo usque remittebat, donec novum plenilunii punctum instaret. Turneiserus in examine urinarum.

DE CAL-

Digitized by Google

DE CALCULIS INTESTINORUM.

CAPUT XIII.

Cornelio Gemmæ descripti



1 *Lapis in pylo ro gemtus*

2 *Lapis in cæco intestino natus*

Calculi intestinorum a Kent mano exhibiti



A Calculi

Digitized by Google

A Calculi Mauritii à Thimen, quales ſingulis menſibus ſine dolore excernit.

B Lapis integer M. Balthaſaris Arnoldi.

C C. Lapis per medium ſectus.

D D. Foramen triquetrum.

Scribunt nonnulli quod à forti excernendi conatu, præcedente dolore vehementi aliqui lapides calloſos dejecerunt, iis, qui in veſica naſcuntur, haud abſimiles, id quod ego neque vidi, neque alium qui viderit unquam audivi. Galen.

Galenus teſtatur quendam tenesmo, id eſt crebro & inani egerendi per inteſtinum rectum appetitu laborantem lapidem excreviſſe. Paulus Ægineta, qui in hoc fallitur, quod Galenus viderit, cum tantum de ſcripto cognoverit. A locis indicia ſumuntur morborum eo quod quibuſdam ſolis morbus hic accidat; quibuſdam vero ſolis nunquam eueniat. Quippe ſoli oculi ſuffuſione laborant, lapis in renibus & veſica duntaxat naſcitur, atque (ut nonnullis placet) etiam in colo. Galen.

Lapides erunt, aut in renibus, aut in veſica, aut in inteſtino appellato colon, aut in articulis. Raſis ex Galeno: ex quo eadem repetit Rabi Moyſes.

Accidit lapis in ano pinguium, inquiſivi & inveni hoc fieri in majori parte: & in macilentis fit lapis in veſica. Idem Raſis ex libro de morte veloci.

Erat quidam amicus meus pinguis valde & egrediebatur de eo lapis in urina ſemper, deinde emiſſus eſt ab eo lapis in egeſtione abundanter. Idem Raſis.

In inteſtinis aliquando retinentur fœces omnino, propter craſſitiem & duritiem ſuæ ſubſtantiæ, in tantum, quod efficiuntur quaſi lapides. Abyn-zoar.

Galenus ſuo tempore non vidit lapidem ab inteſtinis egredientem: ſicut ipſe recitat in libro de interioribus, & tamen nos vidimus tempore noſtro bis, tamen non fuiſſet conveniens Galenum negare hoc. Gentilis.

Colica paſſio bene poteſt cauſari ex lapide in inteſtinis, ſed & hoc eſt de raro contingentibus, ideo autores non faciunt mentionem, quod raro ibidem generantur, propter latitudinem meatuum, & quia calor eſt debilis, cum ſint membra panniculoſa, ideo non indurat materiam, ut inde lapis generetur. In renibus autem, veſica, & pulmone frequentius generan-

Digitized by Google

tur,&c. In inteſtinis raro propter cauſas dictas, aliquando tamen eſt poſſibile,& quia materia eſt multum viſcoſa,& ratione alicujus particularis, calor poteſt eſſe fortis, calor autē fortis agens in materiam viſcoſam, reſolvit ꝙ eſt ſubtilius,& reliquum indurat,& ita generat lapidē, igitur cauſatus in inteſtinis poteſt eſſe cauſa colicæ paſſionis, ſed hoc eſt de raro contingentibus. Bern. Gordonius.

Non ſolum lapides generantur in renibus & veſica, imo etiam in ſtomacho, quos quidam per vomitum ejiciunt. Et quibuſdam aecidunt in inteſtinis & ejiciunt eos per ſeceſſum,& fit plurimum ex eadem cauſa, ex qua fit Colica & Iliaca. Gilb. Anglicus.

Poteſt in pluribus partibus noſtri corporis fieri lapis, veluti in pulmone, ſtomacho,& in inteſtinis,&c. Et ego heri in quodam ruſtico, qui per quindenam aſſeclam ſæpius non habebat, ad nucis magnitudinem, non unum, ſed plurimos lapides in inteſtinis generatos (& excretos) vidi. Ant. Guaynerius.

Lapis in multis partibus corporis humani poteſt generari, ſcilicet in inteſtinis groſſis, infra contentis, maxime in colo, ut vidi Ferrariæ 1457. & erant quantitatis avellanę magnæ,& multum duri, emiſſi per anum à quadam muliere in multis vicibus, numero circa quinquaginta, cujus rei teſtis eſt Excellens Medicus Bartholomæus Falconetus. Jo. Arculanus.

Quandoque eſt (alui fluxus) ex lapidibus, licet raro. Et viſum eſt à pluribus in uno cholerico Neapolitano, cuius cognomen erat Medicus. Et ſervari duos ex lapidibus, quos emiſit, continue per menſem, per virgam & anum, & erant plures & magni, & emiſſus per anum ſicut ovum, per virgam ſicut nucleus, & cum melonum commeſtione liberatus finaliter extitit. Franciſcus Pedemontanus.

Franciſcus de Pedemontio incredibili & numero & magnitudine (lapides) conſpexit, per menſem non duravit fluxus. Erat autem quorundam lapidum ovi magnitudo. Thom. à Vega.

Lapillum progeneratum in pulmonibus fidem facit Galenus, alii in inteſtinis,&c. Alex. Benedict.

Mariottus Palla pharmacopola cum inteſtinorum dolore vexaretur, ejusque venter nihil fere, & id quidem ægre atque liquatum redderet, pluribuſque hominem Medicamentis alvum ducentibus & clyſteribus curaſſent medici,& morbus nihilominus invaleſceret, ad aliud auxilii genus converſi, totam ipſius alvum humidis fomentis emolliunt: nec prius ab

Digitized by Google

incepto desistunt, quam ille sic fotus, lapidem instar columbini ovi, alvo projecit. Qui quidem lapis intestino subsistens, & iter magna ex parte obstruens, licet ideo deduci non posset, quod intestino tunicisque ejus deligatus esset, vel quod ipsius crassioris intestini aliqua forte inhæresceret cellula, medicamentorũ tamen præsidiis, & expultrice adjuvante virtute tandem propulsus est. Ant Benivenius.

Nos vidimus mulierem Gallam hîc Ferrariæ, quæ lapides quinque ex ano egessit, quos malleo ferreo contundens in pulverem redigebam, ac si essent percocti lateres, tamen parvi erant, nam & colore & magnitudine & forma mespilorum seminibus assimilabantur. Ant. Musa Brasavola.

Musa mulierem refert ex ano quinque lapides reddidisse. Quod verisimile est. Nam pituita sæpe lentissima intestino hæret, quæ potest concrescere, dum satis non detergitur. Schoeliographi Hollerii.

Ubi ex stomacho sulphur, id est, stercus expellitur, si in eo est salis vis, tunc lapides generat, & fit inde constipatio, ut excrementa ejici nequeant, sicut Duci à Landshuet evenit, habebat in intestinis lapidem &c. ut materia neque sursum, neque deorsum ire potuit, sed similis erat lapidi scissili. Dicebant ex auro commesto esse, sed nihil est, quia nullum metallum adhæret, non vadit in substantiam aut digeritur, præter ferrum: quod cum bibitur, limaturæ scilicet ferri bibitæ coagulantur & faciunt dolores intestinorum, &c. ideo quando in intestinis fit lapis non generatur ex offis aut carnibus, aut aliis cibis, sed debet singulare quoddam esse, scilicet si quis multum utatur medicina, ut est aurum potabile, luna soluta, limatura Martis, dulcedo Saturni, extractio cupri, Jupiter calcinatus, sic chimelea asphaltum, marcasita, antimonium, &c. Illa si dantur in Medicinis, coagulantur in intestinis: nam non manent in stomacho. neque ad hepar transire possunt, ideo ad intestina vadunt. Theophrast. Paracel.

Ex intestinis ejectum non vidit Galenus, ipse vidi calculum instar ovi columbini, per alvum excretum Lugduni à muliere, quæ dolore coli conflictabatur, &c. Hier. Montuus.

Pituita lenta secundum naturam gignitur concrescitque in intestinis, è quibus cernitur alias sponte fœcibus circumjecta descendere, alias clystere manifeste deduci, alias dysenteriæ vi corradi. Quum autem parcius ea vacuatur, sensim aucta caloris vi, sic tandem crassescit, ut prorsus obstruens intestina quasi infarciat, fiatque latentium difficiliumque morborum causa. Caroli quinti Imperatoris Legatus quidam dolore torquebatur,

Digitized by Google

nec non tumore à dextro hypochondrio, per ima ventriculi, in ſiniſtrum exporrecto. Hujus quum ſexennio toto, remedii genus omne, tanquam emolliendo ſcirrho adhibitum fuiſſet, injecto tandem acriore clyſtere, durum ac firmum quidpiam, medio ductu pertuſum, pedis longitudine detractum eſt, quod ille inteſtini portionem eſſe metuebat. Sed cum repente levatus videretur, adhibito conſilio iterum ac tertio clyſtere prolutus eſt, rurſusque ſimili evulſa materia continuo priſtinæ eſt valetudini reſtitutus. Alteri cuidam ſimilis ſed gravius affectus, alvum prorſus cohibuit, qui tandem ventre ſupra modum intumeſcente, deceſſit è vivis, inventumq; eſt colum inteſtinum, uſque adeo infarctum pituita concreta, ut ſolidum prorſus cenſeretur, nihilque omnino fœcis in alvum delabi ſineret. Vera hæc eſſe teſtamur, quæ tamen Galeno non admodum probabilia videntur. Craſſior porro hæc pituita in cæci coli inteſtini cellulis, diutius coercita, nonnunquam concreſcit in calculos: quales ſæpe vidimus inſtar nucis juglandis, & in quodam magnitudine caſtaneæ, quarto aut ſexto quoque die, dolore nullo exturbari, &c. Jo. Fernelius.

Obſervatum eſt à nobis in D. Zolin Medico, & Advocato Gilot, cui colum, qua parte vicinum eſt reni ſiniſtro, collecta veluti cartilagine dura in ſcirrhum obduruerat, interiore cavitate eo tumore intercepta, ut nihil tranſcurreret. Itaque neque clyſteribus neque medicamentis juvabatur, etiam fortibus. Parte dextra colum ad inſtar magnæ veſicæ dilatatum & extenſum, medicamentis datis & potionibus plenum. Superjecti vicinique muſculi abdominis, & peritoneum ſanioſa. Poſt longa & multorum annorum termina, è quibus tamen non decumbebat, ſexto, à quo decubuit die, mortuus eſt, ſine febre, niſi quo die obiit, nimirum 5. Martii 1555. Scholiographi ad Jacob. Holler.

Mirum eſt, quod Nobili cuidam mulieri contigit, an. 1559. Nihil excludebatur ſtercoris, dolor ingens in ano, qui nullis remediis cedebat, de cauſa diſputabatur. Nihil è ſpeculo immiſſo apparuit interiore recto inteſtino. Tandem ſumma vi, & eo dolore, qui in partu difficili excitatur, rotundum globum tophaceum à cæco inteſtino dejecit. Hernia laborabat. Erat is globus tunica involutus, ſuberis ſubſtantia. Scholiographi jam dicti.

Deſperata ab omnibus valetudine ſenem, ſummo dolore inteſtinorum cum videremus carere febre, neque tumorem extare quempiam, quotidianis dejectionibus alvum exonerare: pondus in ipſis inteſtinis ſentire, fatali quadam conjectura lapidem ſubeſſe rati, enemata ex bdellio & oleo noſtro

noſtro Telino, croceo malagmate, butyro, certe decocto infundi juſſimus. Tertio clyſmata magna vis lapidum educta eſt. Jul. Cæſ. Scaliger.

Quod calculi inter inteſtina quoque humana parvi & magni fiant, exēplis affirmare poſſum. Sed multi homines jam concretos in viſceribus ſuis, ne ſenſu quidem percipiunt nec doloribus infeſtantur, niſi cum anguloſi & aſperi per ſedes ejiciuntur. Alii maximis vellicationibus torquentur tāriſper, dum lapides immorantur & dum exitum denique petunt. Eſt inter alios in hac noſtra Diœceſi Vir Nobilis, Mauritium à Thimen vocant, proceritate & robore corporis conſpicuus; ἀληθωρικὸς etiam & bene coloratus. Ejus prædiū non plus uno milliari Witeberga abeſt. Hujus inteſtina multos per annum calculos faciunt: quorum ſingulis menſibus, ultimo quadrante aliquos abſque moleſtia ejicit, niſi cum teneſmo laborat, & lapilli aſperitate ἀπευθυσμένου ἔντερον (rectum inteſtinū) penetrando rodunt, alias majores, alias minores piſis, partim rotūdi, partim oblōgi & aſperitatis aliquid habentes. Nonnunquā ex arenulis cōglobati conglutinatique cernuntur velut Ammonites, coloribus fulvi, mediocris duritiē, ſed leviores: quod indicium eſt magna ex parte ex flava bile, phlegmate admixto, coaluiſſe. Kentmanus.

Sed & Torgæ, ubi ego nunc vitam ago, & Medici officio fungor, eſt vir pius & doctus, ætate grandis (jam enim duodecimum climacterem agit) cui nomen Magiſtro Balthaſari Arnoldo, qui in hoc oppido annos continuos 42 munus docendi in Eccleſia ſuſtinuit: quo, præterito primum anno, ſe abdicavit. Hic inde uſque à pueris colicas paſſiones toleravit ita magnas, ut vita ipſius non ſemel in perditis & deſperatis fuerit habita. Anno demum Milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo octavo, hunc grādem lapidem per longanonem eliſit, cujus formam & magnitudinem hic depictam addidi. Eſt enim figura quaſi tereti, duob. articulis anterioribus pollicaribus conjunctis magnitudine non abſimilis, baſi utraq; nonnihil ſinuoſa aut concava, ad modum cotylorum aut ſinuum in oſſibus, quibus capita aliorum oſſium inſeruntur, venulis albis & lateis in colore ſpādiceo diſcurrentibus, foris lævis, ſeu glaber, vetuſti alicujus luti ſpecie. Sinus autem iſti, ſummus & imus, non aliter apparent, ac ſi alii ejusdem formæ lapides illis inſerti contiguique fuiſſent, ſicut bonus ſenex ipſe ait, credere ſe, ſi obſervatum fuiſſet, pro magnitudine dolorum, quos inter ſedes ſubinde pertuliſſet, plures ejuſmodi calculos cum excrementis egeſtos fuiſſe: ac ne hunc quidem agnitum fuiſſe, niſi tranſverſus per rectum inteſtinū

desidendo tantos cruciatus peperisset, ut hærens difficulter extrahi potuisset. Fractus per medium pallido est colore, & mollior tactu quam foris: plenus circulorum, è quibus videre est, ut indies ex adhærescente materia concreverit. Sed & foramen triquetrum hoc modo dissectus ostendit, non penetrans, sed fissuræ speciem habens. Sed ut formam mirabilem hujus lapidis coram melius aspicere queas, amicorum omnium intime Gesnere, quam ex data pictura, ideo fusum ex gypso & coloribus suis tinctum repræsento, siquidem veri lapidis mittendi potestas mihi fuit denegata. Porro hoc liberatus pondere pius & emeritus senex: nullis huc usque colicis torminibus cruciatus fuit. Idem.

Similiter quoque (ut à viro docto & perito Medico D. Doctore Joan. Brambachio Dresdensi affini meo, cognovi, quem ego fraterno amore amplector) post meum ex Italia reditum in Germaniam, lapis per secessum egestus fuit magnitudine ovi, à præstantissimo Medico D. Frizemelica, quo nos Præceptore Paduæ, ut aliis clarissim. Viris Joanne Baptista Montano, D. Francazano, D. Bellocato, D. Lando, biennio utebamur. Is quoque magnis cruciatibus colicis assidue discruciabatur. Idem.

Cum Pisis experientissimum Medicum & Chirurgum D Gabrielem Fallopium Præceptorem sectaretur Collega meus (Reinerus Solenander) simul atque accessissent quendam mercatorum internuncium, natione Lucensem, cujus uxor valetudinaria colicis subinde doloribus laborabat, tum vero iisdem torquebatur gravissimis, post alterum aut tertium curationis diem, à multis remediis ex arte adhibitis, tandem præter omnium expectationem dejecit pilam seu tophum potius, non admodum gravem, magnitudine majorem paulo columbæ ovo, à cujus rejectione paulatim desiit dolor, pristinaque rediit valetudo. Hæc reliquis demirantibus affirmabat Fallopius. Idem alias nobilissimo Medico Frisimelicæ doloribus colicis vexato, & cuidam tertio accidisse affirmabat Jo. Wierus.

Frisimelica, qui olim in Gymnasii Patavini Theatro magna cum laude Medicinam docuit, excrevit aliquando lapidem ad magnitudinem ovi una cum stercoribus. Hier. Mercurialis.

Lapides innumerabiles pene hisce manibus extraxi, inventos in renibus colore vario, in pulmonibus &c. in intestino colo, in venis hæmorrhoidalibus, &c. Reald. Columbus.

Habemus domi lapides excisos folliculo fellis, stomacho, intestino cæco, &c. Corn. Gemma.

Mu-

Mulier quædam post diuturnos stomachi dolores lapidem excrevit per intestina triangularem, castaneæ nucis quantitate, credo in pyloro per annum latuisse, ut antecedentium symptomatum series ac natura monstravit. Idem Gemma.

Mirabilius multo, quod per sedem exciderit fœminæ vetulæ, sed prægrandior, lapis omnino rotundus, saltem ovali specie foris partim fuscus, partim ater, ac velut ambustus, quem cum perforare paululum attentassem, dissiliens in duas partes, intus substantiam instar vitri purioris, aut crystalli pellucidam, multis striis, atque radiis, in unum centrum confluentibus, ostendebat. Hoc in cæco intestino per aliquot menses, concretũ latuisse non dubitabam, ex doloris loco, quem ante perceperat, partisque laborantis tensione & gravitate in dextro ilio, sub costis spuriis, ubi cæcũ illud intestinum fibris membraneis, tum peritoneo & hepati, tum mesenterio alligatur. Idem Gemma.

Generosa Domina de Morthemar unum grandem & durissimum lapidẽ dejecit cum summo conatu. Quæ Domina quam plurima antea patiebatur tormina, & ipso lapide ejecto liberata est. Ferrandus.

Quod Gal. in 1. & 6. de locis affectis negavit se vidisse, ut etiam in intestinis hominum perinde ac in vesicis lapides gignantur, id minime mirandum putari debet, quando & nos & alii tophaceas materias ex intestinis atque aliis corporis partibus non sine stupore extractas inspeximus, &c. Quod neque admiratione ulla dignum videbitur, si quibus causis renes & vesica humores in lapideam compagem vertunt, alunt, & augent, iisdẽ alias quoque partes, illud efficere posse consideremus. Hieronymus Mercurialis.

Rarum est (lapides gigni) in colo, pulmonibus, &c. Scholiographus ad libr. Galen. de locis affectis.

DE CAL-

Digitized by Google

DE CALCULIS IN RENIBUS ET URETERIBUS INSIGNIORIBUS.

CAPVT XIV.

Kentmani.



A Calculus Friderici III. Electoris Saxoniæ.
B Foramen erosum, quod urina perfluxit.
C Calculus Amygdalinus.

Cornelii Gemmæ.

VIdimus Dominum Petrum Argentum, ex renibus plus quam quadraginta calculos emisisse. Ant. Musa Brasavola.

Sæpe

Sæpe vidimus tota renis carne, ac ſubſtantia pereſa, ambiente tanquam marſupio membrana, pus calculoſque multos obvolvi. Ulcus ab his cauſis ortum habuiſſe argumento eſt, quod urina antequam purulenta eſſet, ſæpe cruenta fuerit, præſertim ab exercitatione & labore, quod febris nulla, aut perobſcura fatiget. Si quando autem obſtructo ureteris capite pus cohibetur, id ſenſim vel p emulgentē in venas majores redūdans ſanguinem habitumque corporis inquinabit (qua ex cauſa quaſi ex leucophlegmatia calculos tumere ac palleſcere ſæpe animadverti) vel ea ſede congeſtum ilia, lumbosque copia diſtendet, è quibus etiam aperta cute, diu multumque manat. Nōnunquam & illic calculus ingens cum pure alias exceſſit, alias evulſus eſt. Jo. Fernelius.

Licet non modo uſitatum, ſed & quotidianum ſit, arenulas & calculos intra renes reperiri, ibidem natos & adauctos, magnos & parvos, duros & leves, forma diverſos, oblōgos, acuminatos, latos, flavos, fulvos, ſpadiceos & nigros: ut depingi nullo modo poſſint; tamen hoſce duos lapides ob ſingularem quandam granditatem & formam adjicere volui. Alter & major quidem (ut deinceps in deſcriptione lapidum veſicæ dicetur) è dextro rene laudatiſſimi & pientiſſimi Principis Friderici Tertii Saxoniæ Electoris, aperto poſt obitum ejus cadavere, exciſus fuit. Alterum cujusdam pauperis pannicularii uxorem viginti annos natam, Miſenæ excreviſſe conſtat, poſt innumera medicamenta, tanta difficultate, ut in diſcrimen vitæ veniret. Equidem ſimiles dolores, quod fateor, antea non vidi, nam ſex totos dies cruciatus enitendo perpeſſa fuit adeo ſævos, ut ei crus dextrum ſtupore penitus rigeſceret, & denigraretur, donec lapidem peperiſſet magnitudine, forma atque colore amygdalæ ita ſimilem, ut amygdalis permixtus ab iisdem internoſci repentino aſpectu vix poſſit. Joann. Kentmanus.

Lapides non ſolum in renum ſinu contineri, verum etiam in ipſorum ſubſtantia reperiri compertum habeo, hincque expelli poſſe non dubito, vaſe etiam, quod ſinum efficit, non rupto, nec diviſo. Nam ut jam monui, variis amplisque foraminibus eſt pervium, per quæ calculi à ſubſtantia renum in ipſorum cavum facile expelli poſſunt. Hæc autem foramina, quāvis admodum pateant, tamen priores anatomicos latuerunt: idcirco plurimis nec vulgaris doctrinæ Medicis errandi occaſionem præbuerunt, qui alterutrum neceſſario concedendum eſſe non ſemel mecum acriter contenderunt, nimirum calculum vel in renum ſubſtantia non gigni, vel ſinu

membraneo eorum illæso cum urinis excerni non posse. Neque vero prætermittendum est ureterem statim ab egressu è renibus latiorem redditū, instarque ventriculi seu peræ pastoralis recurvatum, frequenter magnam lapillorum copiam congregare: quos postea natura sagax sensim inde cum urinis expellit, quibus iter ob vasis curvitatem interceptum non est, quāvis sit calculis refertissimum. Hoc sane naturæ diligentiam summopere commendat: sed magis illud, quod lapides insignis magnitudinis in renū sinu contentos, quasi coronarum orbes medios forat. Superioribus annis juvenis quidam altero rene doluit, cruciatusque adeo auctus est, ut misellus brevi vitam cum morte commutarit: hunc calculo minime laborare constanter affirmabant Medici, quia neque urina suppressa unquam fuerat, neque tenuis, aut turbida seu fabulosa apparuerat: his omnibus (multi sane erant) solus ego repugnabam, arbitratus alterum renum officio suo probe fungi, alterum prorsus obstructum nihil lotii excernere: contentionem dirimit sectio, quæ aliter se habere, quam nos opinaremur, patefecit: lapidem nimirum magnum & oblongum, cruciatus & interitus causam fuisse, qui quum esset medius perforatus, quo minus urina exiret, impedire non poterat. Renum præterea lapides ab iis, qui in vesica generantur, solo colore à medico distingui posse, fere ab omnibus receptum est: sed hoc plærumque fallere, ex dissectione intelligimus: quandoquidem renū lapides rubei vel crocei perpetuo non occurrunt, sed non raro albi & cinericii conspiciuntur: cujus rei exempla multa afferre possim, sed uno contentus, affirmo vidisse me in Episcopo Senogalienſi, cujus paulo ante memini lapidem album, insignis magnitudinis, principium vasis urinarii occupare, reliquum vero cavitatis renum innumeris fere lapillis ejusdem repletum esse. Barth. Eustachius.

Admirabile naturæ miraculum silentio minime prætereundum in cadavere Venerabilis Generalis Carmelitarum inventum nobis videre obtigit: cujus alter renis lapidem insignis magnitudinis continebat: qui ab amplo caudice principium sumens, in octo ramos, juxta canalic olorum vasis urinarii formam atque numerum divisus, coralli truncum & surculos elegantissime æmularetur; ac præterea renis caro valde contracta & imminuta, ita firmiter huic lapidi undique adhæreb at; ut depositi propria figura, quasi crassa quædam cutis ei obduceretur. Idem Eustachius.

Calottus è nobili sene mortuo lapidem cuniculis actis, rene jam consumpto, corallo nec dum levigato, tam soliditate, quam ramulis similem,

omni-

omnibus, quos unquam vidi, vesicæ calculis compactiorem, exsecuit, quē ab eo, si in vivis est, adhuc asservari, arbitror. Thom. Jordanus.

Ferrandus hoc ipso anno 1566. secto cadavere sui generis (familiæ) Petri de Schartes re medica illustrati, excluſit è substantia utriusque renis duos lapides, ab utroque unum, insignis magnitudinis & crassitiei, multis alis seu cornibus, aut radicibus in dicta renum substantia & stomachis seu ventriculis adhærentibus, cum multis lapillis pisorum magnitudinis repletis, ureteribus quamplurimis arenulis refertis & oppletis. Et in recto intestino, è regione colli vesicæ inventa est carnositas putris, quæ sua putrilagine vesicam ita laceraverat, ut intestinorum excrementa ante obitū una cum urina redderet ad miraculum usque & forsitan antea non visum. Vidi lapillos in Ureteribus. Reald. Columbus.

Domino Charon Abbati Sancti Petri, cum antea de renibus non conquereretur, febricula, infirmitas virium, inclinante exitum morbo, venter utrinque inflatus dolens, obtigit. Urina duos ante mortem dies supprimitur. Dissecto cadavere ren sinister totus absumptus repertus est, vomica plenus, quæ cruentam saniem reddidit. Dexter vero ren calculo ureterem obstruente obsessus. Scholiographi ad Jac. Holler.

Vidimus Dominum Petrum Argentam ex Renibus plusquam quadraginta calculos emisisse. Brassavolus Com. ad aphorism. 79. libr. 4. Hipp.

Vidimus lapides duos Duci Friderico Saxoniæ Electori post mortem exectos, quorum unus magnitudine duorum digiti articulorum in rene dextro, colore subrutilo, circumcirca uno in loco circulari ambitu medicamentorum λιθοτριπτικῶν acredine attritus, erosusque, qua perfluxit arena: alter porraceo colore, quantitate unius articuli in vesicula fellis latitaverat. Peucerus de præstig. Medic. pag. 310.

Digitized by Google

AGALMA RARIORIS LAPIDIS.

Ex Aeroamate nostro.



ICONA

ICONA
RENALIUM LAPIDUM RARIORUM, A CL. CAMERARIO transmissorum.

A Lapis renis dextri.
B Lapis renis sinistri.



REN

Digitized by Google

REN PETREFACTUS.

VIennæ Fœmina quædam, quum aliquando diros cruciatus perpessa esset secundum sinistra ilia subter hypochondria; multis tum frustra adhibitis quum expirasset: à sectione deprehensus fuit totus Ren istius regionis in lapideam substantiam degenerasse. Hãc historiam ex acroamate nobis communicavit C L. V. Jacobus Moccius Medicus: qui eandem à Nobili & Juris consultiss. V. Michaele Textore, Legum Doctore acceperat.

Uxor Eckeverti in Rotenhaus nephritica à multis annis, semper abortiens, nunc prægnans facta, divexabatur ingenti hæmorrhoidarum fluxu aliquot mensibus me absente mortua post partum aperta, invenitur magnus lapis in renibus, varia habens brachia, quo à teneris annis divexata fuerat uti & mater ejus, quæ mortua erat simili affectu. D. D. Bautrinus de observat. propriis.

Anno Domini 1573. mense Novemb. moriebatur Reverendissim. Episcopus Wirtzeburgensis, Fridericus nomine, ex nobili & antiqua Familia à Wirsburgo oriundus, quem ego more solito eviscerans, in sinistro rene inveni calculum pendentem drachmam unam & dimidium. C L. V. Joan. Posthius de observat. prop.

Apriolus Concionator Milhusanus, calculos bis mille & plures mingendo paucorum annorum spatio, reddidit: quos singulos separatim in charta involutos, dierum numero adscripto, mihi multisque aliis ostendit. Huic cum plures calculi majores à renibus descendentes, in vesica subsistentes lithotomia extracti essent, postquam semel sanatus rursum idem pateretur, sectione facta obdormivit. C L. V. Felix Platerus de observat. propriis.

Nobilis Matrona multis annis gravissimis renum doloribus, sinistro præsertim in latere, ab initio divexabatur, & quatuordecies uterum gestans, toties octavo vel nono semper mense abortivit. Tandem una cum ætate doloribus invalescentibus, de dextri præsertim lateris dolore, ita ut nec contactum, aut decubitum in illam partem ferre posset, conquerebatur, rejectis interim toto morbi tempore multis calculis, & puris & sanguinis copia per urinas: accedente insuper gravissimo stomachi & guttu-

ris ardore. Eam tandem mortuam cum secarem, renem sinistrum penitus consumptum, & marsupii instar cujusdam membranosum sinubus amplis

Digitized by Google

plis scirrhosis tuberculis refertum ureteremque illius admodum dilatatū intestini cujusdam instar, deprehendimus. Dextrum vero renem tumidum in immensum increvisse, in quo per medium dissecto, calculus justæ magnitudinis excreverat, sinum secundum omnino adimplens, illinsque ductus ramis undique comitans, obturans, ureterum principium obstruens, qui forma sua cervinum caput cum cornubus & collo appositè exprimebat, illisque locis, ubi substantiæ renum minime adnatus erat, incrustatus, splendebat ex contactu bilis flavescente. E quibus facile dolorū causam & abortus, utriusque renis calculos, qui in sinistro rene illius substātiam contriverat, atque confractus comminutusque successive per mictionem redditus fuerat, in dextro vero rene subsistebat, fuisse conjectare licebat. Sed & ardoris illius ventriculi causa, in bilis vesicula admodum bile referta, & ventriculo duodeno intestino (quod & alias sæpe vidimus) deprehensa fuit. Hæreditarium autem malum hoc illi fuisse ostendit, quod à matre illius, iisdem affectibus mortua, calculus ex utroque rene quoque exctus fuerit. D. D. Felix Platerus de obser. propriis.

Inter alia plura & admiranda quæ superioribus annis ex renum calculis perpessus sum, unum in primis animadversione dignum judicavi, quod ad posteritatis memoriam transmitteretur. Calculos nimirum forma, longitudine & crassitie piperis lōgi aut corylorum julis similes, colore fabrubentes, & cum recenter excernuntur, nonnihil molles adhuc, verum aere statim velut corallia mari exempta indurescentis, non tantum in renibus nasci posse, sed & quod fidem prope omnem superat, ex iisdem per ureteres in vesicam usque integros devolvi, & in penis canali primum in partes aliquot inter validos enixus diffringi aliquando. Id quod mihi anno 1576. in profesto D. Nicolai, cum pridie validissimis lumborum cruciatibus exercerer, evenit. Ex quo enim in prandio Æginetæ Lepidium embammatis loco cū carnibus paulò liberius devorassem, calculus ille primo è renibus emotus, ad ureteris caput detrusus, una quoque sincerum sanguinem per vesicam urinæ loco ad quatuor uncias usque exegit, certissimo restitātis & subsistentis adhuc difficilimi calculi argumento. Postmodum doloribus immensis & incredibilibus diem integrum, usque dum per ureteres ad vesicam promoveretur, tortus, tandem collo vesicæ impactus, noctem totam & subsequentem diem ibi hærens, omnē excernendæ urinæ usum mihi ademit, unde coacervata in vesica urina, tumescente vehementer pube, vesica mirum in modum distenta, cum vel inter intollerabiles dolores,

Digitized by Google

res, dejectis jam ex ea carnificina viribus, vel rupta vesica moriendum mihi videremur: ardentissimis prius ad DEUM precibus fusis, & potione ex philonio cum vino & æthere juniperorum temperatis hausta, ad bihorium in ea vitæ desperatione constiti. Cumque summa virium & spiritus contentione ad urinam excernendam erecto & distento corpore, compressoque ventre, validissimo enixu, calculi & vrinæ excretionem urgerem: ecce ex insperato calculum ex collo vesicæ in urethram propelli, in eadem diffringi persentio, unde mox indicibili violentia tres oblongi lapides ad duos passus prosilientes cum magna urinæ copia, non sine vitæ meæ per DEI gratiam mihi propagatæ spe, expulsi sunt. Ex hoc difficili partu cum me nõ nihil recollegissem, mihi perneeinum prope fœtum, tres illos calculos excretos, afferri jubeo, quos ubi diligenter inspexi, evidentissimas notas, qua parte, priusquam divellerentur, cohæsissent, deprehẽdo & frustula ita cõjungo, ut planopiperis longi formam conjuncti referrent. Paulo post urinæ plusquam tres libræ denuo vesica excernuntur. Qui indubie repleta prius vesica per ureteres sursum ad renes regestæ latuerant. Depleta itaque & exonerata vesica, urina cõsuetos meatus repetens rursus in vesicam devoluta, secundarum loco, ne quid parienti mihi superesset, prodiit. Joan. Schenckius Senior.

DE CALCULIS IN VESICA RARIORIBUS.

CAPVT XV.

Kentmani.



A Dextrum

A Dextrum latus calculi.
B Sinistrum latus.
C Cuspis in meatum urinalem porrecta.
D Pars latior in vesica.

Cornelii Gemmæ.



NOn secus atque de renum lapillis dictum est, in vesica, quæ urinam excipit, lapilli concrescunt, nec minus varii forma, quantitate atque colore: nisi quod vesicæ calculi apud quosdam præcipuæ cujusdam magnitudinis & duritiæ esse solent, vel tantæ, ut nec medicamentis atteri expellique, nec instrumentorum usu frangi eximique jam cæsis (incisis vesicis) queant: sed necesse sit, qui sic infestantur, quod ipse perturbato animo non semel expertus fui, mole dolorum superatos oppressosque, inter nefandos cruciatus misere oppetere. Equidem, quæ mea est opinio, nullam acerbiorem homini mortem accidere posse puto ea ipsa, quam calculi inferunt tormenta, ubi quis membris omnibus salvis viribusque integris violento impetu adigitur, ut animam indigne exhalet: Id quod Friderico Tertio Saxoniæ Electori primo evenit. Ab hujus principis occasu, qui incidit in annum 1525. diem Maii quintum, cum ejus corpus sectum, exceptis intestinis aromatis ad sepulturam inter principes more usitato conderetur, quidam Joannes Trautemannus quo princeps chirurgo fuerat usus, vesicam incidens, in ejus orificio lapidem offendit grandem, cuspide in cervicem, qua urinæ meatus patet, porrecta, latiore parte in vesica hærente.

rente. Eum lapidem ab hæredibus Trautemanni, quorum superstites sunt quatuor, viri boni, precario accepi, data fide de restituendo. Cujus proplasticen, dilecte Gesnere, ad veram imaginem summo studio exacte fusam è gypso tibi inter cæteros calculorum typos transmitto, quo accuratius miram hujus lapidis formam, qui hunc principem interemit, considerare possis. Sed idem Chirurgus fellis receptaculo alium calculum exemit ut vir Clarissimus Dominus Peucerus mihi significavit, quem manibus suis sese contrectasse ajebat, prasino colore, forma quadrangulum, magnitudinis unius articuli. Inde & renes secti fuere, atque è dextri lacuna alius quidam lapillus evulsus fuit duorum articulorum magnitudine, subrutilo colore, circumcirca uno in loco circulari ambitu medicamentorum λιθοτριπτικῶν acredine attritus erosusque qua urina profluxit. Jo. Kentmanus.

Nicolaus Rusticus calculo vexabatur, figura, ut postea conspeximus, longiore. Hic cum ab ima parte acutior & asperior esset, vesicam ipsam incidit: tum & testiculorum tunica perfracta post multos ac pene intolerabiles dolores, tandem in conspectum venit: quo haud magna postmodum difficultate deducto, cum multi hominem moriturum, & quidem recte judicarent (neque enim vesica cum incisa fuerit, præsertim inferiori parte, cohæret) ille tamen præter omnium opinionem convaluit: hoc solum ex tanto malo homini incommodo relicto, quod inde semper quoad vixit urinam reddidit. Anton. Benivenius.

Multos è vesica (exemimus) ceparum more lamellis incrustatos, inferiore subinde, coloris diversi. Duo præter hosce genera. Utrumque apud me est. Ex bovillis oppidanus nostris adjutus medicamentis eminxit vitreum, sane ex illa nobili Praxagoræ pituita. Dum mingeretur, albuminis mollitie, emissum vitri duritia, ac splendore Senatoris filius ejecit, pulvis modo multos, ac maximos, qui aeris contactu postea in gypseam tum speciem, tum firmitatem concrevere. Hic quoque nunc recte valet. Jul. Cæsar. Scaliger.

In vesica præter calculos setarum veluti quædam capillamenta non sine diro cruciatu innascuntur ex mucosa materia. Aliquibus quædam in vesica cõcrescunt, quæ nihilo à conchiliis specie differunt. Alex. Benedictus.

Qui venarum mesenteriacarum orificia inter intestina ampliora putãt in vivente, quæ in cadavere delitescant, longe decipiuntur: arbitrantur enim, ciborum frusta per easdem fibras tenuissimas attrahi posse: putant-

que

que virginem ætate noſtra Venetiis, dum hæc conderemus, quæ crinalem acum quatuor digitorum longitudine, quam inter dentes dormitura cõtinebat, incauteque in ſomno deglutierat, per urinam poſt menſes decem maximis emiſiſſe cruciatibus: quoniam in veſica collectis viſcoſis humoribus, lapis, circum acum coaluerat, gallinacei ovi magnitudine: & à venis meſenteriacis acum prius hauſtam fuiſſe contendunt. Idem. Alexa. Benedictus.

Vidimus lapides ex veſica ejectos magnitudine ovi gallinacei, quos paulatim viſcoſa materia obducta, veluti in cruſtas, varii interdum coloris igneus calor indurauit, atque ita ereſcere ſenſim traduntur. Margaritæ enim in conchis fieri eo modo cernuntur, gemmariis varios veluti in cepis cortices torno detegentibus Ob eam cauſam corpora phlegmatica ac melancholica, pueritia vel ſenectute conſumpta calculorum cruciatus ſentiunt. Idem Alex. Benedict.

Rarum eſt, & miraculo plenum naturæ opus: quæ nonnunquam viam ſibi molitur, per quam calculum excludat. Id mihi alias, dum Burdegalæ agerem, videre datum eſt una cum Emanuele Phavorino, Medico & Philoſopho eminentiſſimo. Erat in ſuburbiis Divi Severini lignarius faber, qui calculo vexabatur, figura, ut poſtea & conſpectu conſtitit, longiore. Hic cum ima parte acutior & aſperior eſſet, veſicam prærupit: tum & teſticulorum tunica præfracta poſt multos ac pene innumerabiles dolores, tãdem in conſpectũ venit, quo facile hominem moriturum judicarent, ille tamen præter opinionem convaluit: hoc ſolum ex tanto malo homini incommodo relicto, quod inde ſemper urinam reddit. Anton. Valetius.

Mercatori cuidam omnia calculi veſicæ ſigna aderant. Cathætere probari non potui. Mortuo duo magni calculi inventi ſunt, ſinguli duarum & mediæ unciæ, membrana incluſi, utrique ſua. Ubi concrevit in veſica fere major evadit ob majorem capacitatem veſicæ & colluviem. Tum non mutatione ætatis, ſed ſola chirurgia curatur. Atque aliquando liber eſt, interdum hæret veſicæ, nec niſi vi extrahitur. Nam ut matula excrementa hærentia contrahit, ita veſica imbecillior. Deinde imbecillitate veſicæ & anguſtiis viarum impeditur excluſio. Hinc mors, quia febris, & inflammatio ſequuntur. Scholiographi ad Jac. Hollerium.

Juſſimus nos excellentiſſimum Albertum Savonarolam, D. Hieronymi Savonarolæ fratrem, poſt obitum aperiri (ita enim placuit illuſtriſſim. Alphonſo duci Ferrariæ) hic doctiſſim. vir Albertus & ſanctiſſim. in veſica

decem lapides habebat magnitudine ovi columbæ, imo & majores, qui eādem præcise formam servant, ac si arte facti fuissent: omnium pondus est sex unciæ & semis: quisque lapis semunciæ pondus excedit. Nos servamus hos lapides auro colligatos, tanquam perpetuum monimentum, & illius viri, & ipsorum lapidum, qui eadem præcise forma in tantam multitudinem creverint, ut unus solus lapis effectus non sit. Hi decem lapides excellentissimi Alberti Savonarolæ si in terram projiciantur, veluti trigonalis pila prosiliunt. Ant. Musa Brasavola.

Balneæ ferinæ calculos præ cæteris ejiciunt, quod sæpe vidimus, cum in aliis, tum in muliere quadam provectæ ætatis, quæ lapidem ovi columbini instar, insidens aquæ, ad extremam usque vesicæ cervicem excernebat, cui ille adeo impactus erat, ut sine auxilio chirurgi exire non posset. Jo. Guinth. Andernacus.

In mense Junii, Illustris Dominus de Montpipeau cognominis de Rochechovart, eques magni ordinis Regis, post obitum sectus, tres lapides fuerunt comperti in vesica, magnitudinis nucis integræ cum suis velaminibus, plani, albi, insigni duritie, ut silices fluviales potius dicerentur, quā vesicales, aut ab humano corpore excretos fuisse. Ferrandus.

Idem in cadavere Domini de Montigne cognomine Lucas apud Pictavos, extraxit è vesicæ stomacho seu ventre lapidem ingentis magnitudinis & ponderositatis, ut vix credibile sit, talem lapidem potuisse in dicto ventriculo contineri, &c pendebat uncias tredecim.

Nos lapidem, quem in collo vesicæ continebat fœmina quædam religiosa, qui etiam urinam omnino cohibebat, cum vehementi dolore, admoto speculo matricis patefecimus, & vulsella eduximus: erat sane magnitudinis fere nucis regalis. Sed vidi lapidem, quem obstetrix à collo vesicæ fœminæ cujusdam utero gerentis, jam prope partum, manibus, magnitudinis parvi ovi gallinæ evulsit. Christoph. à Vega.

Subsequens figura res lapides exhibet: primum ex vesica hominis extractum, qualis ac quantus fere apparet, asperum, racemi quadam specie. Secundum, itidem è vesica, minorem, lævem. Tertium è renibus, quem adnatum fuisse constat. Conradus Gesnerus.

In ve-



In vesica plerumque unus duntaxat lapis gigni solet, eo, quod crassa, quæ assidue suppeditatur, materia, facile circa eum, qui jam genitus est, ac redundat, concrescit & ipsum potius augeat, quam novum proferat: quamvis etiam in hac interdum plures lapides redundent, qui plerumque aliquod in renibus rudimẽtum obtinuere: unde superioribus annis Lugduni duodecim extractos vidimus ex vesica cujusdam militis Elvetii, nuper vita functi, qui omnes ovi columbacei magnitudinem æquabant, quibus à nobis comminutis, comperimus in cujusq; eorum medio inclusum exiguum calculum subflavum, orobi granum referentem; quos credidimus olim ex ipsis renibus esse delapsos in vesicam, in ea postmodum, ob viscidæ materiæ circa ipsos concretionem, ad ejusmodi magnitudinem, quam diximus, singulos excrevisse. Vidus Vidius lib. 10. cap. 20. de Curat. membratim.

In Hieronymo Vetio Pistoriensi Medico egregio & in Pisano Gymnasio Theorices Medicæ artis Professore, collegaque nostro, cum non sine magno illius Academiæ detrimento diem suum hoc anno ex calculo obiisset, plus quam quinquaginta avellanarum magnitudine in illius vesica sunt reperti. Res certe mira, & quę à calumnia Medicos non parum defendit, si quando in hujusmodi monstra incidentes, oleum (ut ajunt) & operam perdant. Erant autem omnes illi calculi coloris subflavi, bilis merę soboles. Fonseca lib. 1. cap. 4. de calculis.

Apud Joannis Volckameri uxorem vidi lapidem excisum ex vesica cujusdam Leonhardi Volckameri, anno 1479. die 9. Februar. qui habebat pondus unciarum octo, qui paulo post mortuus est.

Anno 1561 Mense Augusto, Froschelius lithotomus Augustanus execuit è vesica cujusdam Pannificis sexagenarii, habitantis extra portam ab

 hospita-

hoſpitali denominatam, duos lapides, quorum alter pendit uncias quatuor cum ſemiſſe & drachmas tres. Alter uncias duas cũ ſemiſſe & drachmam unam, & evaſit. Sed vulnus non potuit conſolidari, ita ut ſemper urina ſtillaret per vulnus.

Idem mihi retulit Patrem ſuum detraxiſſe lapidem ex veſica cujusdam Æditui ex villa Langeneiffen, non procul ab Auguſta, pendentem uncias quatuordecim; illum autem tertio à ſectione die mortuum eſſe. De obſervat. C L. V. Joannis Heſſi per C L. V. Joach. Camerarium liberaliſſim. communicatis.

Philippus Engelbrechtus Engentinus Poeta ſui temporis celeberrimus: veſicæ calculo obnoxius, Argentorati, anno 1528. ſectioni ſe commiſit, qua inſtituta, inventus in veſica lapis ſtupendæ formæ, glaber, politus, durus, atque gravis, pendens ſupra quatuor uncias. Qui ut ex ſubjecto Sapidi carmine apparet, vel quod veſicæ agnatus hæſerit, vel ob magnitudinem, aut enormem ejusdem formam, cũ poſt ſectionem detrahi haud potuiſſet, tertio ſeptembris die, finem vitæ ei attulit, cujus deformationem ad vivum expreſſam ſubjecimus.



EPI-

EPITAPHIUM

Philippi Engelbrechti Engentini Joanne Sapido autho̅re.

Phœbi delitiæ, patriæ ſpes, rebus & aptum
Omnibus, hac Vatem terra Philippon habet.
Quem lotii, mala, Parca virum, veſica peremit
Dum renuit lapidem reddere ſecta trucem.
Hic quoq; ſi veterum memores ſint jure nepotes
Æternum claro nomine notus erit.

In ejusdem mortem Sebaſtianus Auſtrius.

Scripſit ubi propriis manibus ſua carmina Vates,
Iratum metuens itq; reditq; IOVEM.
Quem mare nec tellus, ignis nec peſtifer Aer
Suſtulit, at talis, quem tibi pingo, lapis.

Hæc ex tabula, quæ memoriæ ergo & Anathematis inſtar, ingredienti-bus ad oppoſitum latus dextræ parti Chori, Templi quod D. Virgi ni Mariæ in Kilchofen ſacrum eſt, affixa, vel hodie quoque cernitur, bona fide tranſtulimus. Quo Lectorem, diffidentem nobis, ablegamus. Schenckius.

Anno M.D. LXXXIV. XXII. Junii, è veſica Nobilis & Reverendi viri Domini Philippi à Freiberg, Decani, & Proepiſcopi Conſtantienſis: Chriſtophorus Groſs Lithotomus Campidonenſis ſectione lapidem detraxit, pendentem uncias duas cum ſemiſſe. Hoc ſolum ab ea curatione incommodo relicto, quod perpetuam inde urinæ incontinentiam incurrerit, quæ lapidis magnitudini aſcribenda. Cujus iconem ad vivum, etiam coloribus expreſſam una cum hiſtoria (quam tibi Lector adpingimus) idem Dominus Decanus, non tam ad urinæ incontinentiam, quam ad inſequutam etiam quartanam febrem, expetendi conſilii ad eoſdem affectus cauſa, ad me miſit. Forma & magnitudo lapidis eſt ovi gallinacei; color quam ochræ intenſior paulo: punctis crebrioribus, ſubluteolis, undique vel verruculis notatus. Quem lithotomus ab anno undevigeſimo aut vigeſimo cœpiſſe, & ad eam magnitudinem uſque excreviſſe, argumentis neſcio quibus perſuaſus, ſtatuit Schenckius.

ICON

Digitized by Google

Monſpelii in cadaveris cujusdam diſſectione, teſticuli lapillis pleni inventi ſunt. Con. Geſnerus.

Lapillos in pulmonibus ſtudioſi cujusdam rotundos, albos, tophaceos, uti & in teſtibus ſectione deprehendi. V. C L. Felix Platerus in Obſervat. propriis.

Inter varia quæ de calculorum generatione ſcribuntur, etiam notandū videtur: quod, cum anatomiam facerem, in ſiniſtro teſticulo lapillum albicantem, & nonnihil gemmæ modo nitentem, lēticulæ fere figura, ſed majorem, eſſe generatū, invenerim. Quod cum Clariſſim. V. Philippus Mentzelius Medicus, Collega meus obſervandus, tunc etiam præſens, vidiſſet: lapidem illum Orchiten appellandum eſſe ſcite dixit: Ubi & illud notandum, quod hoc in eodem corpore contigerit, in quo ſplen adeo magnus fuit viſus, idque in ſplenis latere ſiniſtro. V. C L. Cyriacus Lucius in Obſervat. propriis.

Anno Domini M. D. LXIX in dextro teſticulo decollati cujusdā hominis, lapillum ſubalbidum, lentis magnitudine inveni, quem ob rei raritatem in hunc uſque diem aſſeruo. V. C L. Joannes Cnoblochius in Obſer. propriis.

Lapides generantur in inguinibus, ut vidi Veronæ, una cum eximio medico M. Benedicto de Leonibus. Joan. Arculanus.

Famula Dyſeridis in Lariſſa, quum juvencula eſſet, ubi venere uteretur, fortiter circum circa laborabat: alias autem ſine dolore erat: concepit autem nūquam. Et quum ſexaginta eſſet annorum, dolebat à meridie, velut ex partu vehementer laboraret. Hæc quum ante meridiem porrum cōediſſet multum, poſtquam dolor ipſam corripuit vehemētiſſimus, & priores omnes excedens, exurgens aſperum quiddam in ore uteri deprehendit: poſtea cum ipſa animi deliquium incideret, alia mulier immiſſa manu expreſſit lapidem aſperum, magnitudine verticilli fuſi. Hippocrates.

Calculi aliquando to facei in ipſo utero generantur, quos ſi extrahere volueris, alvum prius per clyſterem ſtercoris eductorium evacuato. Aetius.

Marſil. de ſancta Sophia in ſuis ad Avicen. comment ſe lapidem vidiſſe genitum in matrice, & ab illa extractum teſtis eſt, citante Marcell. Donato hiſt. mirab. Med. lib. 4. c. 30.

Generantur etiam lapides in matrice, ut Marſilius dixit ſe vidiſſe. Nicol. Nicolus. In locis mulierum aliquando viſos narrant. Alex. Benedict.

Generantur in veſica fellis certe, atque in ventriculo, rarius in utero, ob pronum ſitum. Cardanus.

Habemus domi lapides exciſos folliculo fellis, ſtomacho, &c. utero &c. Corn. Gemma.

E matricis acetabulis duos (calculos) exciſos memini. Jo. Wierus.

Andreas Lacuna cum aliis noſtratibus anatomicis intra calvariam & meſenterium & uterum conſpexerunt. Thom. à Veiga.

Obſervavimus concretos in capite, in utero mulieris, cui diſſecandæ in Scholis publice præfuimus. Scholiographi ad Jac. Holl.

Rarum eſt lapides gigni in colo, pulmonibus, veſica fellis, rarius fortaſſe, quod tamen vidimus in utero interiore & toto meſenterio. Scholiographus ad lib Gal. de loc. affect.

Generantur in veſica fellis certe, atque in ventriculo rarius in utero ob pronum ſitum. Cardanus.

Ultra molam & alios conceptus non naturales in utero factos, *vidi* et jam lapides genitos; præcipue autem novi Monialem non clauſtratam, *in* primo ſenio conſtitutam, dum per plures menſes uterinis fuiſſet cruciata doloribus, qui nullo unquam medicamento leniri potuerunt, tandē ejeciſſe ſponte, nulloque adminiculante, per pudendum lapidem ſcabroſum, magnitudine & forma ovi anatini, quo ejecto ceſſarunt dolores: attamen ſuperveniente ex utero fluxione putrida & corrupta, demum conſumpta & emaciata miſere vita functa eſt. Salius ad cap. 113. Altom. practic.

Exſtincta Hippolyta Gata Corregienſe: doloribus uterinis diu vexata cum febre, lapis incredibilis magnitudinis, gypſeæ conſiſtentiæ, multo nigerrimo mucori innatans, diſſecto utero, extractus fuit. Cujus rei nos multos habemus teſtes. Marcel. Donat. hiſt. Med. mirab. lib. 4. c. 30.

Aperta mulier à nobis in Scholis Medicorum Lutetiæ lapidem habens in utero, in uranio anteriore, & quæ ſine liene inventa eſt. Hollerius inter rara nu. 5. poſt obſerv. propr.

Mihi quidem hoc non contigit videre, certior tamen factus ſum non multis ante annis, idem duabus mulieribus accidiſſe. Altera erat Virgo Monachalis: altera (ut accepi) vidua: quæ quia venere non utebantur, habebant antea ſolum dolorem gravantem, ut ex lapide in renibus. Excreverunt vero poſtea haud dubie ex utero, ſi vera narrata ſunt, ut famula Dyſeridis. Valleſius Comment. ad Hipp. lib. 5. de morb. popularibus.

Callæ, Sueſſionenſi villa, tribus hebdomadibus laborans mulier partu, perſua-

perſuaſa à vicinis, voto ſe obſtrinxit: quod nudis pedibus ad S. Mariam itura eſſet, liberata fœtu, & ſtatim doloribus levata eſt. Primo autem peperit tres lapides, unum magnitudine ovi anſerini, alterum gallinacei, tertium nucis. Hos ſecutus eſt infans, qui Baptiſmate tinctus paucos vixit dies. Chronicon Antonini circa annum 107c.

Inter multa alia rara, quæ in diſſectione & conditura corporis Nobilis Matronæ Dominæ Mariæ Salome, Nobilis viri Michaelis Reich à Reichenſtein conjugis: ex præclara Nobilium de Gemmingen familia oriundæ deprehendimus: Fundum ipſius uteri diſſecantes, invenimus ibidem collectam materiam duriſſimam, albam, & lapidefactam, ita ut vix cultro diſcindere potuerim. Hanc hiſtoriam V. C. L. Garnerius Medicus nobis tranſcripſit.

LITHOPÆDION.

A Figura & situs infantis in utero.
B Infans extractus cum parte uteri & tunicarum.
C Corpusculum id quam [illegible]



In universo isthoc EXEMPLORUM lapidosæ concretionis choro, non est EXEMPLUM aliud magis vel stupendum & memorabile, vel ad confirmandum præsens argumentum efficacius, LITHOPÆDIO Senonensi, nempe EMBRYONIS in utero materno PETREFACTI historia. Quod enim admirationem omnem superet & rara Naturæ exempla illustret: Fœtus exacte confirmatus, & viginti octo annis in utero gestatus, in marmoream duritiem conversus est: atque à matris obitu per sectionē exemptus, vel hodie quoque nullius putredinis aut teredinis notam præbens conspicitur. Asservat Lithopædion istud Clarissimus V R, Albosius Medicus. Historia plena & prolixior libro quarto operis observationum C L. Parentis mei exstat, cum Doctissim. Provancherii ad eam erudita dissertatione. Hanc, ne in immensum excresceret liber, impræsentiarum omissam, lector candidus inibi consideravit. Dignum profecto & memorabile argumentum, quod Lapidificam isthanc vim oppido quam maxime confirmet: ut & totam Embryi hominis Massam in tofum & lapidem concrescere posse, physicum miraculum sit.

UTERUS LAPIDEUS.

SCripsit nuper ad me Medicus Celebris, Claudius à Sancto Mauritio, Academiæ Dolanæ Professor, de utero lapideo, cujus observationem, ut quam tibi maxime gratam fore judicavi, transcribere libuit. Admirandum, die 25. Januarii, hoc præsenti anno, nobis accidit, in sectione cujusdam mulieris 37. annorum, cujus uterum lapideum invenimus, ponderis 7. librar. hepar uno lobo tunica cartilaginosa, liene sphærico, vesica lapidea, peritonæo durissimo, quod vix cultro dividi poterat. Quæ omnia nos in admirationem traxerunt, quâ via spiritus deferrentur per universum corpus, & quomodo hæc tam diu vixerit sine ulla manifesta ægritudine, quod animadverti dum esset in vivis. Uterum curavi dividi, in cujus apertione sperabam fœtum lapideum invenire (quoniam nupta erat viro medæ ætatis) ut alias contigit cuidam Medico Senonensi, circa Burgundiã, non longe à Lutetia, qui adhuc hodie curiose reservat, iisque ostendit, qui Naturæ stupenda mirantur, mulieris, inquam, fœtum lapideum, figura qua utero geritur, qui spatio 13. annorum in utero remanserat: spe fraudatus, totum Uterum lapideum inveni, quod dignum tuis auribus esse judicavi, ut nihil dignius in præsentiarum haberem. Hanc historiam Petrus Quentzius, Clarissi. Friburgi Helvetiorum Archiater nobis transcripsit.

DE CALCULIS IN TUMORIBUS ET APOSTEMATIBUS.

CAPVT XVII.

INveniuntur in abſceſſibus cũ ſcalpello ſunt diviſi proprietates quędam non paucæ, nec humorum modo, ſed etiam ſolidorum quorundã corporum. Siquidem unguium, pilorum, oſſium, teſtarum, lapidum & pori fragmentorum ſimilia inventa in his corpora quædam ſunt, &c. Galenus.

Ego meo tempore vidi una cum Magiſtro Benedicto egregio Doctore Veronæ, apoſtema in inguine cujusdam mulieris in quo erant lapides tres ad quantitatem caſtaneæ, formæ tendentis ad rotundum, & duritie gypſi, quod apoſtema me præſente ſecuit. Arulanus in commentario ad cap. 69. Avicennæ de febre ſextana, ſeptana & ſimilibus.

Vidi in muliere quadam patiente apoſtemata in ilio, lapidem ex apoſtemate rejectum, nam exhibui ei Terebinthinam, & tunc temporis ruptus eſt abſceſſus, & cum pure rejecit lapidem magnum, ut ovum. & Medici credebant mulierem illam laborare colicis doloribus. Gabr. Fallopius.

Kentmani.

In Electoris Saxonię principatu quidam nobilis eſt, patria Marchita, nomine Joachimus Kobel, præfecturæ Schwenicenſis præſes, militiæ peritus, cui in ſiniſtro crure ſteatωμα enatum, ultra annum duravit, gallinacei ovi magnitudine: quod cum ei nihil impedimenti inter ambulandum afferret, nec doleret etiam, incidi noluit, ſed ita reliquit. Sed cum aliquando in equeſtri certamine ex incuria id graviter offendiſſet, ut immodice intumeſceret & inflammaretur, dolores acciderunt acerbiſſimi, donec tandem

tandem concepta sanie apertus tumor fuit: in quo lapis avellanæ magnitudine apparuit, angulosus, rotundus tamen & spadiceus, quo exempto una cum pellicula, qua continebantur humor saniesque, tumor subsedit, & vulnus perfecte concrevit. Jo. Kentman.

Anno Domini 1558. Joanni Bourlierio, sutori vestium in Sancti Honorati vico, aquosum in genu absessum aperui, in quo calculum reperi album, durum & levem, & amygdalæ crassitici, quo extracto convaluit. Nulla certe corporis pars est, in qua calculi non facile concrescant. Pareus lib. 24. cap. 19. de Monstris & Prodigiis.

Præter atheromata, steatomata & melicerides, multa sunt alia tumorũ genera, ut Testudo, Nata, Glandula, Nodus, Botium, Lupia, quæ ut materia (sunt enim omnia ab humore pituitoso, crasso, lento & viscido) sic specie cum atheromate, steatomate & meliceride conveniunt. Quin & his apertis plærumque cernas omnis generis, & à communi tumorum materia longe dissita corpora, ut lapides, cretam, arenam, carbones, cochleas, spicas, fœnum, cornu, pilos, carnes tum duras tum spongiosas, cartilagines, ossa, integra etiam animalcula, tum viva tum mortua. Quarum rerum generatio (per humorum corruptionem & alterationem) nos non admodum tenebit attonitos, si consideremus, quod, quemadmodum ex totius magni mundi seminibus, & elementis omnibus, natura hominem microcosmum concinnavit, ut illius magni mundi esset viva velut imago: sic in illo omnes omnium motuum & actionum species elucere vult, nunquam in nobis otiosa, quamdiu materia generationi non deest. Pareus operum suorum lib. 6. ca. 19. de tumoribus contra naturam.

Quocunque modo fiat absessus, id spatium, quod absedentes partes interjacet, humoribus illum efficientibus impletur. Qui si diutius aliquãdo maneant, in varias formas mutantur. Etenim lapidibus, arenis, testis, lignis, carbonibus, luto, strigmento, amurcæ, feci, multisque id genus aliis similia sæpe in absessibus contenta deprehenduntur. Galen. libr. 2. ad Glauconem cap. 7. Plura vide apud Celsum lib. 7. cap. 6. Nos accersiti cum essemus præsentes dum nobili cuidam Matronæ Venetæ rescinderetur absessus, vidimus Chirurgum extraxisse duram quandam materiam ex eo absessu, quam discernere non poteramus, num lapis potius esset vel os. Vict. Trincavellius de ration. curand. human. corp. affect. libr. 10. cap. 5.

Quid memorem prodigiosa corpora, quæ in præter naturam absessibus reperiuntur, calculos dico, cretam, arenam, carbonem, limacum cochleas,

leas, ſpicas, fœnum, cornua, pilos, & plærasque animalium vivorum mortuorumque ſpecies? Nihil enim eſt in earum generatione (per corruptionem facta, quam multiplex præcedit alteratio) quod attonitos animos noſtros & ſuſpenſos tenere debeat; ſi præſertim conſideremus fœcundam & parentem omnium naturam univerſæ materiæ, ex qua major mundus contextus eſt, varias portiones & particulas, in microcoſmum hominem indidiſſe, quo amplius ad magni illius imaginem, & unum exemplar factus eſſe videretur. Itaque in eo ſibi placere, ut omnes actiones, motusque quos obire & edere in majoris illius mundi ſcena ſolet, eosdem in hoc parvo effingat nunquam in nobis ociosam, modo ne materia deſit. Pareus operum ſuorum lib. 19. cap. 3. de infantum Variolis. Ferrandus in cadavere Caroli Tiercelni Domini à Rupe du Mayne, equitis magni ordinis Regii, præter lapides in veſica, renibus & felle repertos, etiam ob Lanceæ ictum & concuſſionem, in latus ſiniſtrum remanſerat ingens tumor præter naturam in cavitate cujus inventus eſt ingens lapis quadratus, diverſi coloris ingentis duritici.

DE CALCULIS IN VULNERIBUS.

CAPVT XVIII.

Iohan. Kentmani.



QUemadmodum exemplis oſtendi lapides in hominum σπλάγχνοις (interaneis ſeu viſceribus) generari, ita externis quoque membris corporis humani ſauciatis exulceratiſve calculos innaſci compertum habeo; cujus

cujus experientiæ duo exempla subjicio. Cerwici, quod oppidum est ditionis Ducum Anhaltinorum magna laude pietatis illustrium, puer quidam lithiasi affectus tredecim annorum, ab ignaro quodam atque imperito lithotomo cęsus fuit, cui postea incuria atq; negligentia artificis meatus in vesicæ incisura remansit, qua urina sine intermissione stillavit, desertо canali quem natura destinavit. Hoc cum ad longum tempus duraret, circa eum meatum glutinosus quidam coacervatur humor, qui paulatim in lapidis cinerei duritiem coalescit, & novas, imo majores vesicæ distensiones, & cruciatus acerbiores, ratione obstructi foraminis, qua urina ante percolabatur, affert, quam ex priore calculo perceperat. Nec removeri hoc malum aliter potuit, quam nova vesicæ incisione. Jam enim calculus magnitudinem contraxerat. Quod cum factum per peritum quendam & exercitatum artificem, & lapis denuo exemptus esset, plaga recte coaluit, puer ipse alacer, & ad quævis expeditus, nulla amplius molestia, nulla difficultate premitur, aut infestatur.

Anno 1558. cum Hispaniarum Rex Philippus Regi Galliæ bellum intulisset, duo nobiles ex Marchia, qui ejus militiæ socii erant, & stipendia sub Rege Philippo merebant, cum jam in itinere cum aliis compluribus essent, forte fortuna coorta inter ipsos dissensione congrediuntur. In quo certamine is, cui à Kalkreutt nomen erat, alterum Conradum à Bernheim infestissime adoriens bombardæ ictu petit. Verum globus crumenæ lamina ex chalybe obductæ, in quo ictus pulveris (pulverem bombardicum ger.) & pilarum gerebat; & palmi infra umbilicum spacio intra corpus penetrans, vesicam homini trajicit, in eadem subsidens, impetu ejus ex primo afflictu fracto. Hoc accepto ictu equo decidit, & à satellitibus sublevatus, Lipsiam ad Chirurgos exanimis reducitur: qui dum vulnus ei obligant, animadvertunt vesicam sphærula sauciatam esse. Ibi desperantes obligato valedicunt, omni curationis studio abjecto: nemo enim tantum sibi sumere voluit, ut plagam inflictam vesicæ sanaret, quam ex Hippocratis Aphorismorum libro septimo aphorismo decimo quinto insanabilem & mortiferam esse dedicerant: cui tamen Galenus in commentario supra eundem adversatur. Sic igitur derelictus, omnique cura destitutus saucius, accitis ministris suis domum se reportari expetit, aut vivum aut mortuum, quod cum facerent satellites, & jam Torgam Lipsia advexissent, æger cupidus vitæ, Chirurgum oppidi peritissimum Leonhardum Wuolcium, & me quoque precibus accersit. At primum rem omnem, ut accidisset, pro-

lixe nobis recenſet, deinde gemebundus opem noſtram implorans obſecrare ſe ait, ut deſertum ab omnibus noſtra benevolentia complecteremur, & curandum ſuſciperemus. Chirurgus itaque laxatis ligamentis, & cognito vulneris periculo, mox vitam ſimul atque curationem denegat deſperato. Tandem mea interceſſione motus, cum pollicerer meam quoque operam ac fidem conjunctarum, ſuſcipit, & religat ſummo ſtudio. Ibi tum hebdomadas undecim urina non canalem perfluxit ordinatum, ſed per plagam manavit: per eam autem omnis ſubſtantia cutis carniſque uſtulata ab ictu erat, eique materies quædam glutinoſa ex acredine lotii ſanieque circum circa adhærescens, in lapidis ſoliditatem obduraverat, ita tamen, ut urinæ meatus de die in diem exiguus pateret, qua ſtillaret, donec elapſis quinque ab ictu ſeptimanis ſubſtantia ea uſtulata, putredine ſenſim laxata, una cum calculo accreto, à chirurgo inſtrumento extracta fuit, & urina jam immediate vulnus permanavit: Porro ſubſtantia ſoluta & exempta, ambuſtæ & lentæ admodum cuti perſimilis erat, duarum ſtipularum craſſitie, digiti tranſverſi latitudine, lapidoſam eam materiã ambiens, qua urina exitum habuerat: quæ quidem tophos, qui in thermis cõgelantur, fere ſuperabat firmitate, colore cinereo, tactu aſpera, ut è groſſis arenulis conglutinata. Sic igitur ampliato meatu & purgata veſica liberataque ſanie, & aliis, quæ de globo bombardico, lotii acrimonia conſumpto, ſupererant, & orificiũ veſicæ obſtruxerant, vulnus ſanari rite (Deo auxiliante) cœpit: idque tam brevi tempore penitus adeo coaluit, ut nec ambulanti, nec equitanti, nec curru vecto, impedimento moleſtiæve eſſet. Poſthæc uxorem duxit nobilis, & in hunc uſque diem valetudine eſt commoda & firma. Jo. Kentmanus.

In vulneribus capitis ſæpe vidi lapillos albos emplaſtris adhærentes. Theophraſtus Paracelſus.

DE CAL-

Digitized by Google

DE CALCULIS IN EXTERNIS PARTIBUS ET JUNCTURIS potiſſimum.

CAPVT XIX.

Ioan. Kentmani.

A Calculi Rochlicenſes.
B Calculi Trebinenſes.

ROchlitii, quod Miſenæ oppidum eſt, civis quidam habitavit honeſtus & pius: qui ibidem ſeptuagenarius vitam finivit, magnis doloribus confectus: nomen illi Joannes, cognomen Oberdorffero fuit. Totos enim annos viginti dolore artuum miſere cruciatus fuit, reque impari, una cum ætate nimirum morboque augeſcente: nec continuo, ſed per intervalla redeunte. Morbus, ut ſolet, pedes primum, inde manus brachiaque, tãdem humeros quoque & ſpinam dorſi occupavit, donec progreſſu temporis omnes corporis artus invaſit, quos ſi quando una vice furenter perrepſerat omnes, quod ætate provecto ſæpe eveniebat, in digitorum, pedum manuumque extremitates devolutus deſinebat, ubi dolor conquieſcebat paululum. Tum enim puſtulæ iis locis ſurgebant, primum glaucæ, deinde maturato pure flavæ: quæ ruptę aut acu ictę magis etiam dolebant ante afflicto, quam ubi impunctæ relinquebantur. Sic igitur ſtantibus tuberculis, materia intus ardore exiccata uſtulataque novaculis ſuccreſcebat: cui præciſe vomicæ iſtę, dolore jam intus ſedato, lapillos in ſe continebant duriuſculos, colore cinereo nigriores: grano piperis paucos majores: minores plurimos.

Trebinæ in Marchia alius etiam domicilium habet Joannes Schuneman, ætate quidem gravis, ſed corpore adhuc firmo & obeſo, qui arthriti-

de fimiliter valde infestatur anniversaria. Quoties vero cruciatus omnes corporis articulos permearunt, in utriusque pedis pollice vomicæ enascũtur, juglandibus non minores, sed doloris ardentissimi: quo mitigato conflacceſcunt rursum, sanie intus arcscente. Ubi igitur pustularum doloribus jam levatum se sentit, incidi eas patitur: tum calculi eruuntur subrubri, pisorum aut fabarũm etiam magnitudinem habentes & tuberosi, quibus semel liberatus novos timet ardores, donec tãdem interimant, quod sæpe ex animo optat & expetit. Joan. Kentma.

Vidimus verum gypsum juncturas exire, quod in tanta copia abundabat, ut quidam experiri voluerit, an gypsi officio fungeretur: nam omnes gypsi qualitates, quæ sensu præsentantur, habebat. Collegimus fere hujus gypsi unciam, & in pulverem redegimus, & lapidem delinentes, parietique applicantes lapidem tenacissime sustinebat, ut etiam verum gypsum in hac proprietate excederet. Ant. Mus. Brassau.

Scire licet Ichoras Græcis quandoque pro humoribus in corpore seu corruptis seu integris accipi. Lego apud eruditos, quod equidem relatu dignum censui: pituitæ speciem ingenerari quandam gypso aqua macerato persimilem, sed membrorum nodis præcipue. Ubi decoquendis vi caloris sæpe fiat perinde ac gypseus lapis, mirabili etiam mulieris exemplo, quamdiu molestam vexarat onus spondylorum ac renum. Ea cum scabendo, pruritu titillante, cutem lancinasset, lapilli exciderunt numero decem, & octo magnitudine quanta in tesseris visitur, colore plane gypseo. Cæl. Rhodiginus.

Ex podagricorum juncturis, muria, & caseo vetusto, & pyritæ usti scobe rupta cute plurimos extraximus, candore steatis, duritia invictos. Jul. Cæsar Scaliger.

In morbo articulari plerisque à pituita cruda, resiccata, crasso terrestrique humore indissolubiliter impacto, resolutis partibus tenuioribus tophos Græcis τόφους, velut calcem, in juncturis enasci videmus: quam etiam exemptam materiem, paulatim excipit alia. Jo. Wierus.

Duo lapides albi satis crassi & ampli, à junctura brachii dextri Domini de Rhovet illoque vivente novacula fuerunt exclusi. Ferrandus.

His diebus unus est extractus, à manus dextræ pollice, devotissimæ Monialis Charracę, in cœnobio Sanctæ Crucis dicato degentis. Idem Ferrandus. Jul. Alexand. pag. 561. Annotat. ad Galat. opera.

Acci-

Accidit ut post dolores (Gallicos) vel cum doloribus, tumores infestent circa articulos internodia, in media fibula, in medio cubito, & his caput sæpe coronatur, ut regni Gallici insignia præseferat. Isti tumores cũ contineant materiam crassam, quæ est veluti gummi eliquatum, ideo gũmata Gallica vocantur à Medicis. Hi tumores duorum sunt generum, alter tophaceus est alter autem minime. Tophacei sunt, qui constant materia penitus lapidosa, & videntur veluti tophi ossei, vel materia illa, qua ligantur ossa fracta. Secunda species tumorum est, quando materia est mollis, quæ tripliciter apparet, nam aliquando est veluti laridum, aliquando est minus crassa, ut est similis polentæ, & est atheroma Gallicum. Tertia species est sicut mel & dicitur meliceris Gallica, &c. Gabr. Fallopius.

Vidi lapides in vmbilico.

Duo lapides albi, satis crassi & ampli à junctura brachii Domini de Rhovet, illoque vivente, novacula fuerunt excisi. His diebus unus est tractus à manus dextræ pollice, devotissimæ monialis Charracæ in cœnobio Sanctæ cruci dicato, degentis. Ferrandus senior lib. de Nephritide.

Tophacea quædam est horum substantia, nec minore interdum consistentia, quam rerum ipsarum calculi sint, quales magnitudine insigni vidimus de pedis pollice extractos Hungaro primati viro, candicantes. Jul. Alexandrinus annotat. ad lib. 14. Therapeut. Meth. c. 13.

Ex podagricorum juncturis, muria & caseo vetusto, & pyritæ usti scobe rupta cute, plurimos extraximus (calculos) candore sceatis, duritia invictos. Scaliger exercit. 108. par. 3. subtilit. Card.

Podagricus in Herenberg oppido ulcera expertus in pede vel suris, forte fortuna præsens, cum Chirurgus auferret emplastrum, exemi ex vulnere grandines quasi, vel juxta Theophrastum tartarum gypseum. Tanta est naturæ sagacitas in sequestrandis molestiis naturæ. Nec alioquin tophos sensit in membris, etsi incurvatus nonnihil incedit, temperamenti præsertim capitis pituitosi. C L. V. Esaias Meichsnerus in observat. propriis.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANALOGICUS
APPENDIX

CONCRETIONIS CALCULOSÆ PER EXEMPLA MAGNI MUNDI:

Præsertim

DE CALCVLIS BRVTORUM corporibus innatis.

Quo ut Analogo argumento confirmatur Concretio calculosa Parvi Mundi, sive hominis, cujus Plasma est ex magno Mundo.

ADVERSVS DECRETVM ILLUD Veterum, quo statutum fuit, Nullum Animal præter hominem calculosum existere.

Anno Domini M. DC. VIII.

IN CA-

Digitized by Google

IN CAPITE.

In Laconici sinus Insula Cythera, vulgo Cerigo dicta, magna copia Asinorum ferorum est, qui Lapidem in capite & cerebro habent praestantis usus ad Comitialem, pleuritidem, & partus promotionem. Haec Bordeus, in navigat. Lapis dicitur Ahamorich.

IN MAXILLA.

Lapides in maxillis equorum concreviſſe Abſyrthus non illaudatus artis veterinariae Medicus author est. Jo. Langius.

IN OCULIS.

In Canthis Oculorum ex Cervo Bezoar. vide Scaligerum, &c.

IN PULMONIBUS.

Apud me est genitus in pulmone bovis, levis ac cinerei coloris. Hieron. Cardanus.

IN CORDE.

In capsula cordis; exstat Galeni de simia historia.

In bovis corde lapidem inventum vir fide dignus mihi retulit. Conr. Gesnerus.

Lapides è cervino corde exemptos vidi, ovi prope columbini magnitudine, laminis conflato, & quod jucundum fuit, repertum est officiculum in meditullio, simile cæteris ossibus corde prognatis, circa quod putamina haec sese aggregando amplificaverant & in hanc molem atque duritiem, calore cordis extorrente, lapillum produxerant, &c. Thomas Jordanus.

IN VENTRICULO.

In Ventriculo Cervi, sextus: vide paulo post.

A Balthasaro Conradino Physico Schuuozi in Valle Oeni auditum habeo (quæ res verisimilis omnino est) quòd Molitor quidam non longe à Schuuoz Equum habuerit, quem multo tempore domi alebat, qui sæpenumero ægrotare solebat, & derepente ac ex improviso humi concidebat sine causa evidenti, qui tamen semper restitui sibi solebat à morbo. Accidit igitur aliquando ut exanimaretur equus: unde Molitor ejus anatomen

men instituit & mali incogniti causam deprehendit pilam vel globum tartareum vel gypseum extitisse ad capitis humani instar in ventriculo & retinaculo ubi laminas & tunicas compactiles exacte dignoscere licuit ad spissitudinem obtusioris partis cultri sibi invicem artificiose incumbentes. Quæ omnia equo obtigerunt, quod ex aqua vel flumine isthic tartareo potaret frequenter. Dornezius in Pisone lib. 9. cap. 29. quo loco de aquis istis crassis lapidosis, & tartareis prolixius loquitur, & maxime improbat, q in pulmonum fistulis & ureteribus subtilior tartarus separetur & coaguletur, unde pervicaces emergant obstructiones, gravissimi morbi & symptomata, mors ipsa. Hujus tartari humani se habere portionem nō obscuram ab eodem Corradino sibi condonatam, ipse profitetur.

In bovis ventriculo inventi calculi: Historia apud Marcellum Donatum, in historia Medica mirabili.

Lapis repertus in Ventriculo & intestinis Cervæ. Enzelius de re metallica lib. 3. cap. 49.

De Lapide Caymanum, inspiciundus est Monardes de medicamentis exoticis novi orbis.

In juvencarum secundo ventre pilæ rotunditate nigricans tophus reperitur, nullo pondere, singulare (ut putant) remedium ægre parturientibus, si tellurem non attigerit. Plin.

Et alibi lapillū memorans, qui in cervis reperiatur, subdit: Nam de pumice, qui in vaccarū utero simili modo invenitur, diximus in natura boū: non alium, quam citatum jam locum significans.

Quædam sunt lapidibus similia, quæ in animalibus inveniuntur, nec tamen sunt lapides, ut ovum bovis. Hoc sane in ventriculo illius invenit magnitudine ovi anserini, ferrugineo colore, leviſſimū ac leviſſimū cogit excibi excrementis, & motu rotunditatē acquirit pituita cogente. Unde si frangatur, ex pilis constare videtur: durus est pro levitate tanta. Ita natura ludit, ut etiam quandoque boves ova pariant. Hier. Cardan.

Pilas magnas nigras, instar magni pugni, æqualiter orbiculatas sine sutura, pilis parvis mollibus arctissime infarctas, ex boum juniorum sanorum lanienæ destinatorum ventriculo & intestinis exemptas, aliquot annis penes me habui. Incantatione ingestas has, exclamarent multi: generatarum tamen harum pilarum causam investigare naturalem libet. Vituli adhuc lacte viventes materno, si quando alimonia destituti, vel alioqui petulcæ ætate insolescentes, ad parentem vel aliam accurrunt vaccam, ejus

Digitized by Google

ſuras vel quemcunque contigerint orc locum hirtum, maxime poſteriorum coxarum, tam exugunt avide, ut etiam depilem reddant: pilique valido crebroque ſuctu in ventriculum attracti, & frequenti motu ſaltuque laſcivo paulatim conglomerati, plerumque lacte vel chylo obvolvuntur, aut pituitoſo ſucco lento: qui temporis ſucceſſu tenacior redditus, membranæ induit faciem: quemadmodum ſubſtantia limoſa albida ſtatim à ſectione viſa eſt primum obducta hæc pilarum pellicula: quæ deinde exiccata pedetentim, corio tincto etiam nigricie aſſimilabatur. Qua una in parte cultro nonnihil exciſa, ejuſmodi uniformes pili molles (quales in illis dictis pecorum locis inveniri cernimus) admodum compacti apparuerunt. Citius huic ſententiæ aſtipulabuntur, fidemque habebunt, quicunque veterinariæ rei aſſuevere, & jumentorum educationem attentius obſervarunt. Ita nihil omnino rationi derogatum volo, ſi quando ea in rerum miraculis vel manifeſto adeſſe, aut occulte foveri videatur. Joannes Wierus.

Ego ſimiles (Plinianis tophis) pugno majores, leviſſimos, ſuperficie lævi vidi & habeo. Conrad. Geſner.

In capris alpinis etiam, quas Rupicapras Plinius vocat, ſimiles reperiũtur, & in aliis quibuſdam forte. Idem Geſner.

Menſe Martio lapilli quidam in bovis Ventriculo inveniuntur, qui ſi aſſumantur cum vino albo, calculum ſolvunt. Joſeph. Quercetanus.

Equi Neapolitani, cum concidiſſet, mortis cauſam inveſtigaturus, lapidem è ventriculo excidi fecit, ovi ferme anſerini magnitudine lamellis conflatum, pilis quoque refertum, ſcabrum tamen, neque ſplendentem, dupondii pondere, quem Rudolphus Hungariæ Rex inter ſua rara repoſuit. Thom. Jordan.

IN JECORE

In jecore apri inveniuntur lapilli, ſicuti in vulgari ſue, aut duritie lapillis ſimiles, candidi, quibus contritis & in vino potis calculos pelli ajunt. Plinius.

Tophus repertus in jecore Apri ſilveſtris, mire prodeſt calculoſis. Encelius de re metallica c. 3. p. 50.

Fit etiam interdum in epate (lapis) ſicut audivi à ſocio veridico, qui dixit ſe in ſubſtantia epatis porci inveniſſe lapidem ad quantitatem ovi coturnicis, in pellicula una involutum. Petrus Apponenſis.

IN

IN FELLE.

Lapis fellis tauri invenitur in burſa fellis tauri, & eſt magnus ſicut ovũ gallinæ, & eſt coloris citrini, trahens ad rubeum & eſt ſaporis amari, pungens linguam, & eſt levis ponderis, & ſi ibidem permanet longo tempore, ſcinditur, &c. Avicen.

In felle boum invenitur aliquid lapidi ſimile, figura annuli, quod Philoſophi vocant Alcheron. &c. Raſis.

Hunc lapidem in felle bovis repertum aliqui etiam guers & Maſſatum vocant, ut Mattheus Sylvaticus ſcribit Arabica nimirũ dialecto. Con Geſ.

Judaicum lapidem, & eum, qui in ſpongia quique in tauri fellis veſicella calidus eſt, & Arabice dicitur, Harathzi, ad renum refrigerationem qui det, invenias neminem &c. Et paulo poſt, Eum qui eſt in felle tauri, ad Icteritiam facere, Moyſes Kynchi ſcriptum reliquit in ſuis commentariis. Jul. Cæſar Scaliger. Adde Matthiolum, & Luſitanum.

Oriuntur lapides in animalibus duobus modis, altero quidem frigore, ut in limace, &c. altero à calore, ut in taurorum veſica fellea ſæpe. Hieron. Cardanus.

Ego talem ab amico miſſum habeo, ruffi coloris friabilem. Conrad. Geſnerus.

Menſe Majo in veſica fellis tauri lapillus reperitur, qui ſi vino imponatur, colorem croceum mutato paululum ſapore, contrahit, &c. Joſeph. Quercetanus.

IN INTESTINIS.

Servat alius apud ſe pilam levem admodum, ovi magni quantitate, ſed orbicularem, Piſis extractam ex colo inteſtino juvencæ bubulæ: hæc pomo citrio, vel aurantio tam erat ſimilis, ut ſi eo fuiſſet colore (erat autem nigro) viſu ſolo diſcerni non potuiſſet. Arbitrabantur quidam tum ex integro aurantio deglutito eam ita in ventre induruiſſe, ſed arbitrarium hoc & ridiculum: cultro autem vix ægre cortice una in parte inciſo & detracto, inventa fuit tomenti nigrioris congeries, & ſuffarcinata, vel potius tota concreta ex pilis. Hujus pilæ meminiſſe videtur Plin. in hæc verba: Et in juvencarum ſecundo ventre pilæ rotunditate nigricans tophus reperitur, nullo pondere: ſingulare (ut putant) remedium ægre parientibus, ſi tellurem non attigerit. Inepte autem tophum appellat, ſi de noſtra loqua-

Digitized by Google

tur pila. Ille siquidem inter lapides numeratur foraminulentos: Hæc vero pila ex pilis compacta, nihil vel lapideum, vel arenosum, vel foraminulētum: sed est circumquaque spississima, & solidissima. Wierus.

Equus, cum hæc proderemus, egerebat tofos durissimos, leviſſimos, stercoris facie, rotundos, quorum unum habemus. Scaliger.

Crato excellentissimus hanc refert Historiam. Chilianus Hotomannus senator in patria equum habuit, qui superiore anno mortuus est. Is multos lapides excrevit, qui & colore & substantia nihil differunt à Lapide Bezoar. Ita enim concreti sunt, ita puri, & in superficie nitentes. Ipse unum hic habeo, ovi columbini magnitudine. Mortuus est equus superiore anno, & lapis perfectè rotundus, magnitudine pomum arantiæ æquans, qui trāsire intestina non poterat, in intestinis repertus. Plurimos lapides excrevit, sed grādior ille, rotunditate & coloris pulchritudine omnes superat. Tho. Jordanus.

IN RENIBVS.

E Rene bovis lapidem Aldrovandus Bononiæ habet. Conrad. Gesnerus.

Animalia in renibus pinguissima. Oves quidem lethaliter circum eos concreto pingui. Aliquando in eis inveniuntur lapilli. Plin. libr. 11. capit. 37.

IN VESICA.

In vesica porci lapidem conspexi magnum quandoque. Petr. Aponensis. Expos. probl. 43. partic. 10.

Glandem lapideam in porco inventam, olim me vidisse memini: & rursus alias non dissimilem lapidem, quem è suis mactati vesica exemptū ajebant. Conr. Gesner.

In vesica Apri Encelius pag. 211.

Est ægritudinum epidemialium ortus, & occasus, & omnium rerum vicissitudo, non tantum in morbis humani generis, sed etiam brutorum. Nam lapidem nigrum pondo unius libræ, equo ex vesica mortuo exemptum vidi. Jo. Langius.

Lapidis in Bovis vesica meminit etiam Marcellus Donatus in historia sua mirabili.

IN VVL-

Digitized by Google

IN VULVA.

Sextus Placitus meminit Lapidis, in Vulva & Ventriculo Cervi, nati, quem licebit consulere.

IN CARNE MUSCULOSA.

EFFIGIES

Calculi in carne musculosa Bovis.

Wenceslaus Raphanus Medicus Oppavienſis, Laurentzio Scholtzio Medico S.D. Alterum eſt quod te neſcire nolo: Reperit iſtis diebus Primarii cujuſdam civis noſtratis coca in prandio, hunc quem mitto lapidem, friabilem & tunicalem, compactum & ſplendeſcentem, in carne Bovis muſculoſa, & quidem muſculorũ intercoſtaliũ pectoris peculiari pellicula etjam obtectũ, quem primum dum bolum carnis maſticare cœpiſſet, dentibus arroſum animadvertit: de quo judicium tuum expecto. Mihi quidẽ non ita mirum videtur, cum in noſtri corporis variis partibus calculos gigni nimis certum ſit: verum in brutis etiam hoc fieri non perinde animadverſum. Bene vale. Oppaviæ, 19. Septemb. anno 1594. Hanc hiſtoriam ad nos tranſcripſit. Clariſſi. Med. & Philoſophus Laurent. Scholtzius.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IHS